Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...

Fasc. 2

Brauer, Hermann Brauer, Hermann

Bremen, 1722

urn:nbn:de:gbv:46:1-5902

Visual Library

BIBLIOTHECA

Historico-Philologico-

THEOLOGICA.

Classis *Sextae*

FASCICULUS SECUNDUS.

BREMÆ,

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII

Typis HERMANNI BRAUERI, MDCCXXII.

VIRO

amplissimo, ac longe celeberrimo

JOHANNI MEIERO,

In alma HARDEROVICENSIUM Academia sacrarum literarum; ac linguarum Doctori ac Professori publico famigeratissimo,

omniumque, qui in Belgicis Academiis docent, Seniori,

THEOLOGO SVMMO, SVMMO PHILOLOGO,

ob inusitatam Eruditionem ac meri magis, quam ob aetatem venerabilem

SVMMOPERE OBSERVANDO

Secundum hunc ſupra *triceſimum*

BIBLIOTHECAE

HUJUS

FASCICVLVM,

inviolabilis ſui cultus, atque amicitiae documentum, allegat,

ſe juxta, inſtitutumque hoc curate commendat,

precibus, votisque ab immortali DEO ſenectam ILLI viridem,

perpetuosque & invidendos in omnibus ſucceſſus,

impetraturus

EDITOR.

Faſcis

Fascis hic complectitur,

I. *Jo. Georgii Schelhornii* de cogitationum humanarum μεπωεισμῳ ad Luc. XII: 29. Commentationem p. 209.

II. *Bern. Petri* KARLII de Hirco עזאזל ad Lev. XVI. coll. Ebr. XIII: 13. conjecturam pag. 225.

III. De felicibus Ecclesiae BREMENSIS primordiis, ejusque primorum Praesulum meritis Schediasma p. 244.

IV. *Joh.* BUXTORFII de ALCORANI editione Arabica, ejusque versionibus dissertatiunculam p. 271.

V. *Jo. Christophori* HARRENBERGII fatalis *Josiae* praelii ad *Megiddo* 2. Reg. XXIII: 29 30. 2. Par. XXXV: 20-24. expositionem pag. 282.

VI. Vitae *Jo. Henrici* OTHONIS delineationem. p. 291.

VII. *Jac.* HASAEI de צלצל כנפים & צלצל דגים ad Job. XL: 31. Es. XVIII: 1. dissert. continuationem p. 298.

VIII. *Theod.* HASAEI ad praeced. diss. de ארץ צלצל כנפים ad Es. XVIII: 1. supplementum, in quo AEGYPTUM ea phrasi denotari, quaeque illius ratio ac emphasis sit, ostenditur p. 323.

IX. Catalogi librorum à *Protestantibus Latine* editorum continuationem pag. 360.

FORTVNANTE DEO!

I.

Joan. Georg. SCHELHORNII

DE

Cogitationum humanarum

ΜΕΤΕΩΡΙΣΜΩΙ

ad locum Luc. XII: 29.

Commentatio.

SUMMARIUM.

Homines plerumque ipsi suarum calamitatum fabri, quas alii anxiis curis, magnis, sed inanibus, cogitationibus alii adaugent. De posterioribus verbum μετεωρίζεσθαι accipiendum videtur. §. 1. Erasmi de hujus vocis sensu mens cum ἐπιχρισι. §. 2. Victorini Strigelii, Castalionis, Grotii, Hammondi, Pricæi &c. sententia examinata. §. 3. Raphelii conjecturæ. §. 4. Vox μετεωρίζεσθαι quo sensu apud LXX. Interpretes & Diodorum Siculum oc-

currat. Ubi obiter quoque de voce πατροπαραδοτος. §. 5. 6. Eo verbo apud Lucam magnæ de futura felicitate cogitationes, præsumtæque spes, cum tumore & fastu animi conjunctae indigitari videntur. §. 7. Probatur hæc sententia ex universæ orationis nexu & scopo Christi. §. 8. Magnarum cogitationum, quibus homines se oblectare & fallere solent, exempla quædam ex profanis autoribus. §. 9. Sententiæ insignes Senecæ de mentis humanæ μετεωρισμῳ. §. 10.

§. 1.

HOminum vitam, quam miseriarum mare atque palæstram haud incommode dixeris, innumeris premi molestiis, & in ea suam cuique calamitatem, tanquam artem, adsignatam esse, sicuti certæ fidei res est: ita nemo, cui cor sapit, ipsos mortales variis cupiditatibus atque curis, animum divorsim trahentibus, ærumnis suis dare pabula, easque in immensum augere, inficiabitur. Ex veritate Lucianus in Alexandro sive Pseudomante: Τον μεν ἀνθρωπων βιον ὑπο δυιν τυτοιν μεγιστοιν τυραννυμενον, ἐλπιδος και φοβυ, *duo potissimum in vita hominum tyrannidem obtinere, spem ac metum.* Και ὁ τυτων ἑκατερῳ ἐς δεον χρησασθαι δυναμενος, ταχιστα πλυτησειεν ἀν. *Et qui utroque recte & commode noverit uti, eum bene se habere necesse est, & quidem celeriter.* Sed addere liceat, eum contra, qui his abutitur, bonas felicitates omnes habere adversas, inque ipsa rerum omnium

omnium affluentia calamitosum ac vere miserum esse. Nihil certe magis mentis nostræ tranquillitatem turbat, quam sollicitudo de futuris. Nisi spes metusque nostros commendaverimus Deo Optimo, & in ipso figamus mentem, cœlestia desiderantem, quibusvis rerum nostrarum eventibus providæ ejus gratiæ permissis, semper infelices erimus, & cruciabimur animo, angoribus tandem conficiendo. Sive enim, nonnisi tristia nos in posterum fata manere, nobisque multis adhuc & magnis incommodis conflictandum esse, genio ad miseriam nati, opinemur; sive de rebus perpetuo prosperis, aureisque seculis suavia nobis fingamus somnia, & vana spe, Croeso nos ditiores fore, animum lactemus, magnis cogitationibus mentem nostram de futura felicitate implentes: profecto vincula nobis ipsi cudimus, fluctus fluctum excipit, nec unquam rebus nostris contenti sumus. Ab utroque nos Sospitator noster dehortatur Luc. XII. 29. Και ὑμεις μη ζητειτε τι φαγητε, ἢ τι πιητε, και μη μετεωριζεσθε. De posteriori nos jam occupati erimus, in emphasin vocis μετεωριζεσθαι pluribus inquisituri.

§. 2. In diversa hic abeunt Interpretes, & varie hanc voculam exponunt. Erasmus Roter. το μετεωριζεσθαι non proprie pertinere ad tumorem, quod Græci vocant μεγαλαφρονειν, existimat: Christum potius isto verbo nos

monere, ne curemus ea, quæ supra nos sunt: μετεωρα enim vocari, quæ sunt in nubibus, & in sublimi aëris regione. Nec videre se ait, quomodo hæc particula cum præcedentibus ac sequentibus quadret, nisi sentiatur de iis, qui ex astrorum cursu procul in futurum consulunt. Equidem vellem, eam notionem quam heic τω μετεωριζεσθαι tribuit Vir magnus, aliquo exemplo probatam dedisset. Licet enim recte notaverit, μετεωρα vocari, quæ sunt in nubibus, & in sublimi aëris regione, de quibus Meteorologica scripsit Aristoteles: nescio tamen, an inde sequatur, μετεωριζεσθαι de observatione των μετεωρων deque conjecturis, quas ex astrorum cursu colligere solent curiosi homines, usurpari. Ex dicendis, ut spero, patebit, contextum non pati duntaxat, sed & quodammodo efflagitare, ut de tumore, quo turgescunt miseri mortales, vana futuræ felicitatis spe inflati, istud verbum exponamus. Et forte hoc ipsum voluit B. Lutherus, reddens: Fahret nicht hoch her/ ac Interpres Neo-Græcus, qui transtulit: μην υψηλοφρονειτε.

§. 3. Plerique interpretum, & nominatim Victorinus Strigelius, Castalio, Grotius, Hammondus, & potissimum Jo. Pricæus μετεωριζεσθαι de fluctuatione & suspensione animi, futuri exspectatione solliciti, ac inter spem metumque dubii, accipiendum esse volunt. Equidem haud diffiteor, magna verisimilitudi-

dinis ſpecie hanc expoſitionem eſſe prædi-tam, ideoque magnorum virorum calculo probatam: ſed cum hactenus non licuerit, luculentum aliquod exemplum, quo iſta ſignificatio firmari poſſet, invenire, in eam ſententiam ire nequeo. Phraſes Latinæ, pendere animi, pendere pavidis mentibus, ex futuro ſuſpendi &c. ſi quid judico, non evincunt, μετεωριζεσθαι eodem gaudere ſenſu. Metaphorice Servatorem optimum in l. c. uti hoc verbo, tralatione deſumta a jactationibus navium, non negaverim? at hoc ipſum meæ ſententiæ, paulo poſt exponendæ, robur addere videtur. De navibus enim in pelago verſantibus, & a fluctibus æſtuque maris in ſublime levatis uſurpari notandum eſt. LXX. Interpretibus ipſi marini fluctus μετεωρισμοι dicuntur Pſ. XLII. 7. LXXXVIII. 7. XCIII. 4. Jon. II. 3. Atque adeo commode transferri poteſt ad tumorem animi, æſtu cupiditatum ſublati, de futura felicitate mire ſibi blandientis; aureosque montes falſa ſpe jam poſſidentis. Ad inſtabilitatem tamen hujusmodi animorum, taliumque ſomniorum inanitatem ſimul reſpici concedo. Pricæus quidem in ſuas partes trahit locum 2. Maccab. V. 17. ubi de Antiocho dicitur: την διανοιαν ἐμετεωριζετο. Sed adi modo, ſi placet, textum ipſum, & videbis, de faſtu & tumore Antiochi ibi ſermonem eſſe. cf. 2. Macc. VII. 34. Solus Hammondus ex Dorothei διδασκαλ. 1. p. 806.

locum allegat, qui hunc significatum stabilire videtur; cum vero ipsum autorem inspicere mihi non licuerit, judicium de eo ferre temerarium foret. Unico adhuc verbo monendum esse duco, ex eo, quod μετεωρος aliquando significet dubium, non satis firme concludi, μετεωριζεσθαι denotare, suspenso ac dubio animo esse, quod & agnovit Vir Eruditissimus Georg. Raphelius in Annotat. Philol. ex Polybio & Arriano collectis, de cujus conjecturis in h. l. paucula memorare animus est, antequam ad meam sententiam plenius edisserendam accingar.

§. 4. Scilicet duplici ratione phrasin nostram illustrare conatur Vir acutus: quamvis modestia nunquam satis laudanda dubitanter suam sententiam proponat. Primo (a) ex Xenophonte μετεωρος dici ἀνωφελεστατος, res inutilissimas, recte probat: atque exin porro infert, μετεωριζεσθαι dici posse eum, qui rebus inutilibus animum occupat: nihil autem esse inutilius, quam de rebus incertis, & quæ nostri arbitrii non sunt, multum diuque cogitare, & semper de dubiis futuri temporis eventibus sollicitum esse. Ἐν παροδῳ observo, argutulos quosdam philosophos, vano nomine tumefactos, de μετεωροις multa inutiliter nunquam non garrientes, atque sic inusitatæ eruditionis famam quærentes, occasionem

(a) In Annotat. Philol. in N. T. ex Xenoph. collectis p. 97. sqq.

nem præbuiſſe, vocem μετεωρ@ ad res inutiliſſimas deſignandas adhibendi. Hinc iſtiusmodi homines Socrates, referente Euſebio (b) μετεωρολεσχας appellavit, eosque inſanire planiſſime, nec a furioſis quicquam differre oſtendit. Sed in viam redeundum eſt. Quæ præterea ibi affert laudatus Raphelius, meæ ſententiæ ſtabiliendæ inſerviunt: niſi quod in hoc, pace Viri Doctiſſimi, ab ejus expoſitione abeam, quod verbo μετεωριζεσθαι præfidentes potius rerum ſecundarum cogitationes, quam meticuloſæ, cum angore quodam ſummo animi conjunctæ indigitari mihi videantur. Altera conjectura ejus (c) hæc eſt; cum μετεωρον inter alia quoque id ſignificet, quod eſt in ſuperficie atque exterius apparet, neque altius penetret, hinc fieri poſſe, ut veſtimenta etiam dicantur μετεωρα, quia ſuperficiem tantum corporis noſtri attingunt, cum cibo & potu interius nutriamur: μετεωριζεσθαι ergo forte ſignificare, in hiſce rebus externis, & ſuperficiariis animum occupare, earumque cura ſollicitari: ut ſic hæc vox ponatur loco phraſeos apud Matth. VI. 21. ubi eadem extat oratio. μη μεριμνησητε τι βαλωμεθα. Sed exemplum aut veſtigium hujus ſignificationis in Græcis Au-

 tori-

(b) Præparat. Evang. Lib. XV. C. LXI. f. 852. cf. Horatii Epiſt. XII. Lib. I.

(c) In Annotat. Philol. ex Polybio & Arriano collectis. p. 209.

toribus repertum iri valde dubito. Nunc ad rem.

§. 5. Verbum μετεωρίζεσθαι τοις ἅπαξ λεγομένοις Novi Teſtamenti accenſendum eſt. Apud LXX. tamen Interpretes aliquoties occurrit. Obad. v. 4. de ſublimi aquilæ volatu, Ezech. X, 16. 17. 19. de volatu των Cherubim uſurpatur. Pſ. CXXXI. 1. autem de faſtu animi, qui per elationem oculorum innuitur, adhibet Davides. cf. Sirac. XXIII. 4. Μετωρός vero de altitudine montium Jeſ. XXX. 25. LVII. 7. Ezech. XVII. 23. per tralationem de ſuperbia Jeſ. II. 12. 13. V. 15. occurrit. Ex Scriptoribus exteris unius Diodori Siculi, elegantiſſimi autoris, teſtimonia Tibi dabimus, qui hac voce ſæpiuscule uſus eſt. Lib. XVI. p. 12. Biblioth. Hiſtor. (d) de Syracuſanis, quibus verba dederat Dionyſius, pacem ea lege ab iis petens, ut ſe populo conceſſurum imperium, ſponderet, dummodo ipſe honores aliquos decentes obtinere poſſit, Diodorus refert, eos læta pacis libertatisque ſpe, qua deinde exciderunt, plenos atque inflatos ad tyrannum de bello componendo miſiſſe legatos: οἱ συρακόσιοι ΜΕΤΕΩΡΙCΘΕΝΤΕC ΤΑΙC ΕΛΠΙCΙΝ ἐξαπέστειλαν πρεσβεις τους ἀξιολογωτατους των ἀνδρων. Idem l. c. p. 18. Syracuſanos congreſſu quodam navali hoſtes ſuperaſſe, eaque victoria animis erectos, ad convivia & ingurgitationes converſos fuiſſe atque hoſtibus ac-

ce

(d) edit. Græc. Vinc. Obſopœi Baſil. 1539. in 4.

ceptam cladem vindicandi ansam dedisse, memoriæ prodidit: ΜΕΤΕΩΡΙΣΘΕΝΤΕΣ ἐπι τῳ προτερήματι, τοις μεν θεοις μεγαλοπρεπως ἐθυσαν ἐπινικια, αὐτοι δ' εἰς ἐνωχιας καὶ τοπους (l. πολους) ἐκδραπεντες κ. τ. λ. L. XVII. p. 93. Alexander dicitur, Thessalos commemorata veteri cognatione, quæ sibi cum illis per Herculem esset, sermonibusque humanissimis, ut magna de se sperarent, persuasos induxisse, ut communi totius Thessaliæ decreto ipsum Græciæ ducem constituerent. λογοις φιλανθρωποις, ἐ'τι δε μεγαλαις ἐπαγγελιαις ΜΕΤΕΩΡΙCΑC, ἐπεισε την πατροπαραδοτον ἡγεμονιαν της ἑλλαδος αὐτῳ συγχωρησαι κοινῳ της θετταλιας δογματι. Obiter vocem rarius obviam πατροπαραδοτος, quæ etiam 1. Petr. I. 18. extat, heic occurrere noto. Utitur eadem, pagina præcedenti, Diodorus: παρεκαλεσε τους ἑλληνας τηρειν την προς αὐτον πατροπαραδοτον ἐυνοιαν.

§. 6. L. XIX. p. 283. de Agathocle: καὶ πολλουμεν ἐυεργετων, οὐκ ὀλιγους δ' ἐπαγγελιαις ΜΕΤΕΩΡΙΖΩΝ, παντας δε λογοις φιλανθρωποις δημαγωγων, οὐ μετριας ὑποδοχης ἐτυγχανεν. p. 321. de Antigono: Πευκεστην εἰς ἀλλας ἐλπιδας ἀγαγων, καὶ ΚΕΝΩΣ ΜΕΤΕΩΡΙΣΑΣ, ἐξηγαγεν ἐκ της χωρας. p. 343. de filio Regis Cleomenis: το μεν πρωτον ΜΕΤΕΩΡΙΣΑΣ τα πληθη ΜΕΓΑΛΑΙΣ ἘΛΠΙΣΙ, παρεστησατο παντας προσδοκαν συντομον καταλυσιν του τυραννου του δε χρονου προϊοντος πραξιν μεν οὐδεμιαν οὐτε της πατριδος, οὐτε της περ,

το μεν ὑπερφανειας ἀξιαν διεπραξατο. p. 359. de Seleuco: ἐπι τοσουτον ΜΕΜΕΤΕΩΡΙΣΜΕΝΟΣ ΤΑΙΣ ἘΛΠΙΣΙΝ, ὡστ' εἰ καὶ μηδεμιαν εἰχε δυναμιν τοῦ πραξαι, μετα των φιλων καὶ των ἰδιων παιδων την εἰς τας ἀνω τοπους ἀναβασιν ποιεισθαι. L. XX. p. 391. de Agathoclis exercitu: τουτοις (Hannonem intelligit Diodorus) πεσουτος, οἱ μεν πολυ τεταγμενοι των καρχηδονιων, ἀνετραπησαν ταις ψυχαις· οἱ δε περι τον Ἀγαθοκλεα ΜΕΤΕΩΡΙΣΘΕΝΤΕΣ, πολυ μαλλον ἐπερρωσθησαν. Quæ Justinus Lib. XXII. Cap. VI. 7. sic elocutus est: Hac victoria & Siculorum animi eriguntur, & Pœnorum franguntur. p. 450. de Dionysio: ὑπο τουτων των παραλογισεων ὁ Διονυσιος ΜΕΤΕΩΡΙΣΘΕΙΣ, ἐνεκαρτερησε πασι τοις δοκουσιν εἰναι δεινοις. pag. eadem de Agathocle etiam hoc verbum usurpatur. Lib. XVII. p. 95. μετεωριζεσθαι προς ἀποστασιν, ad defectionem inclinare. l. c. p. 156. Diodorus noster Alexandrum & socios, bene potos, & a Thaide inter pocula ad Persepolim incendendam sollicitatos ἀπο της μεσης ἀλογως μετεωριζομενους nominat. Ita Horatius Lib. I. Od. 18. de effectis vini largius hausti:

Subsequitur cœcus amor sui
Attollens vacuum plus nimio gloria verticem.

Μετεωρος simpliciter, & μετεωρος ταις ἐλπισι in eodem autore legitur L. XVII. p. 92. 116. 158. L. XVIII. p. 246. L. XX. p. 387.

§. 7.

§. 7. Ex hactenus recenſitis teſtimoniis elucet, ni fallor, verbum, cujus ſenſum indagamus, innuere magnas de futura felicitate cogitationes, & præſumtam de proſperis rerum noſtrarum eventibus ſpem, cum tumore quodam animique ſublatione conjunctam, qua tamen plerumque miſeri excidimus. Nunc autem oſtendendum erit, hunc ſignificatum univerſæ orationis, a Salvatore noſtro recitatæ, nexui & ſcopo convenire. Videlicet Chriſtus in eo erat, ut πλεονεξιαν ex animis noſtris prorſus profligandam eſſe, demonſtratum daret. Hac fini parabolam protulit de divite quodam, cujus agri fructus uberrimos, quibus recondendis horrea ejus non ſufficiebant, dederant: quique ex tam auſpicato votorum ſucceſſu de felicitatis ſuæ perennitate magnis, ſed inanibus, cogitationibus pectus impleverat. Vana autem ejus hac de re ſomnia ſequentibus verbis optimus Soſpitator refert: τυτο ποιησω. καθελω μυ τας αποθηκας, και μειζονας οικοδομησω. και συναξω εκει παντα τα γενηματα μυ, και τα αγαθα μυ. και ερω τη ψυχη μυ. ψυχη, εχεις πολλα αγαθα κειμενα εις ετη πολλα. αναπαυυ, φαγε, πιε, ευφραινυ. Mediis autem his cogitationibus implicitum, a morte abreptum, atque adeo corvum hiantem deluſum memorat Chriſtus. Has vero ſpes inanes verbo μετεωριζεσθαι eleganter exprimi, nemo forſan inficias ibit. Jam porro ex hac parabola Servator varia derivat mo-

monita, discipulis suis inculcanda. Sequentia enim cum ista parabola esse connectenda, ex eaque deducenda, indicat ipse Christus v. 22. ΔΙΑ ΤΟΥΤΟ ὑμιν λεγω κ.τ.ε.

§. 8. Duo præcipue vitia, sibi invicem opposita ex cordibus nostris relegata vult Salvator, nimirum anxietatem nimiamque futurorum sollicitudinem, qua mentem suam nunquam non excruciant meticulosi homines, Deo diffisi (& hoc agit a versu 22. usque ad 29.) sed alterum extremum, quod mihi videtur, evitandum ac cane pejus & angue fugiendum esse docet, ejiciendas ex animo cogitationes præfidentes, viribus nostris innixas, ex prospero rerum statu etiam in posterum aureos nobis montes pollicentes, & spem temere inaniterque de feliciſſimis futuri temporis eventibus conceptam. Et hoc posterius verbo μεπεωριζεσθαι versu 29. innui conjector magis, quam arbitror. Veri tamen simile est, Christum ea voce hoc velle: nam alias in universo textu ne vestigium quidem hujus rei adpareret, cum tamen in parabola, superius citata, ex qua Christus suas monitiones derivat, tam prolixe & luculenter iste μεπεωρισμος in divitis vesani exemplo propositus sit. Et profecto hujusmodi magnæ cogitationes, valde nobis infestæ, spei, in Deo solo reponendæ, cui omnia nostra facta animo ad quodvis parato committi debent, tanto nisu adversantur, eamque expellunt

pellunt, quanto curæ & angores, pectora nostra miris sollicitudinibus distringentes.

§. 9. Ad utrumque vitium proclives esse avaros, quos potissimum hac concione (vid. v. 15.) Christus corrigendos sibi sumsit, perspicimus. Non unius generis sunt istiusmodi homines, quos dira vexat habendi cupido. Omnes tamen in hoc conveniunt, quod, etsi possideant plurima, plura tamen petant. Crescentem sequitur plerumque cura pecuniam. Avarus & sordidus homo semper egebit. Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. In eo autem differunt miseri homunciones, quod nonnulli, ad perpetuam anxietatem nati, de prospero rerum suarum successu animum semper despondent, licet opibus floreant, Midæque divitias & Arabum gazas possideant, tamen vereantur queruli homines, ne tandem aliquando futuris temporibus victu necessario destituantur. Alii autem, iique paululum saniores, si sani dicendi sunt homines vitiis mancipati, eum in finem corradunt opes, & curis omnibus divitias cumulare satagunt, ut habeant, unde suo tempore ventri & lateribus bene sit. Hi sibi de magnis thesauris, honoribus præclaris, deliciis insignibus & variis felicitatibus venturæ ætatis suavia fingunt somnia, & μετεωριζεσθαι jure dici possunt. Sed sæpissime eos homines inani spe flagrare, ventoque pasci videas. Similes sunt ii piscatori, quem Theocritus de grandi

di aureo piſce capto ſomniantem Idyll. XXI. fingit. Is ingenti gaudio affectus in ſomnis juravit, nunquam ſe amplius piſcibus capiendis operam daturum, verum de aureo illo piſce in otio & luxu poſthac ſuaviter victurum. Quem cum ſomnus reliquiſſet, ſimul aureus ille piſcis & ſpes ipſa avolavit, adeoque is vel invitus ad labores redire coactus eſt. Graphice cogitationum humanarum μετεωρισμον depingit Plautus, in Rudent. Act. IV. inducens Gripum piſcatorem his verbis:

Ego nunc mihi, qui impiger fui, repperi, ut piger ſi velim ſiem:
Hoc ego in mari quicquid ineſt reperi, quicquid ineſt, grave quidem eſt, aurum
Hic ego ineſſe reor, nec mihi conſcius eſt ullus homo; nunc hæc tibi
Occaſio, Gripe, obtigit, ut liberet ex populo prætor te.
Nunc ſic faciam, ſic conſilium eſt, ad herum veniam docte atque aſtute,
Pauxillatim pollicitabor pro capite argentum, ut ſim liber.
Jam ubi liber ero igitur, domum inſtruam, agrum, ædes, mancipia,
Navibus magnis mercaturam faciam, apud reges rex perhibebor.
Poſt animi cauſa mihi navem faciam, atque imitabor Stratonicum,
Oppida circumvectabor: ubi nobilitas mea erit clara,

Oppi-

Oppidum magnum communibo, ei ego urbi Gripo iudam nomen,
Monimentum meæ famæ & factis, ibique regnum magnum instituam.
Magnas res hic agito in mente instruere &c.

Quis hic risum teneat? Sed ita profecto est: tantis sæpe cogitationibus pectora nostra implemus nos homines! Ad minimum votis nostris modum nullum ponimus. Si nobis datum esset, intima pectorum penitius inspicere, certe millies perciperemus vota hujusmodi:

- - - O si angulus ille
Proximus accedat, qui nunc denormat agellum:
O si urnam argenti fors qua mihi monstret, ut illi
Thesauro invento qui mercenarius agrum
Illum ipsum mercatur aravit, dives amico
Hercule.

Horat. Lib. II. Serm. VI. Hanc quoque in rem legisse juvabit festivum Luciani dialogum, qui πλοιον ἢ εὐχαι inscribitur.

§. 10. Egregia sunt, quæ de mentis nostræ μεταφορισμῷ passim habet L. Annæus Seneca; Ex multis pauca, sed pulcherrima delibabimus. Epist. XIII. ad Lucilium: *Inter cætera mala hoc quoque habet stultitia, semper incipit vivere. Considera, quid vox ista significet: & intelliges, quam fœda sit hominum levitas, quotidie*

nova

nova vitæ fundamenta ponentium, novas spes etiam in exitu inchoantium. Circumspice tecum singulos. Occurrent tibi senes, qui se cum maxime ad ambitionem, ad peregrinationes, ad negotiandum parent. Quid est autem senex vivere incipiens? Epist. Cl. *Quam stultum est, ætatem disponere! ne crastino quidem dominamur. O quanta dementia est spes longas inchoantium! Emam, ædificabo, credam, exigam, honores geram, tum demum lassam & plenam senectutem in otium referam. Omnia, mihi crede, etiam felicibus dubia sunt. Nihil sibi quisquam de futuro debet promittere. Id quoque, quod tenetur, per manus exit: & ipsam, quam premimus, oram casus incidit. Volvitur tempus rata quidem lege, sed per obscurum. Quid autem ad me, an naturæ certum sit, quod mihi incertum est? Navigationes longas, & pererratis littoribus alienis seros in patriam reditus proponimus, militiam & castrensium laborum tarda manupretia, procurationes, officiorumque per officia processus: cum interim ad latus mors est.* Epist. X. *Quid refert, quantum illi in arca, quantum in horreis jaceat, quantum pascat & fœnoret, si alieno imminet, si non acquisita, sed acquirenda computat?* Idem de constant. Sap. C. XIX. *Quosdam, quum in summum ambitionis eniterentur, inter prima luctantes ætas* reliquit &c. *Quorundam ultima senectus, dum in novas spes in juventa disponitur, inter conatus magnos & improbos invalida defecit.* Ne igitur mireris, spem istiusmodi hominum plerumque confundi, illisque haud

haud raro cum Cicerone exclamandum esse: *O fallacem hominum spem, fragilemque fortunam & inanes nostras contentiones, quæ in medio spatio sæpe franguntur & corruunt, & ante in ipso portu obruuntur, quam portum conspicere potuerint!* Felicem vero, imo felicissimum merito prædicamus eum, qui sorte sua contentus, in optima divini Numinis voluntate semper acquiescit, deque futuris rerum suarum successibus nec nimium angitur, nec vana præsumptione turgescit, memor dicti Salomonæi Kohel. VI. 9. *Melius est frui præsentibus, quam habere vagabundas appetitiones. Id enim vanum est, & afflictio spiritus.* Confer Jacob. IV. 13. sqq.

II.

BERNHARDI PETRI KARLII, V.D.M.

Nova de Hirco ἀποπομπαίῳ emissario conjectura,

ad Levit. XVI. coll. Ebr. XIII: 13.

Summaria.

Nova de *hirci emissarii* typo ad Apostolos & Ebræos, gentilibus à Judæis ad omni modo vexandum &

torquendum propinatos, forte referendo, conjectura. §. 1. Duæ de illo sententiæ hactenus prolatæ ac notæ, §. 2. Vid. hunc Hircum vel *Judæos* reprobos, vel *Christum* etiam ipsum, diversa quidem quam Hircus propitiatorius σχέσει, referre, speciose à multis defenditur. §. 3. Utraque sententia difficultatibus suis laborante, de nova illa cogitatur, §. 4. quæ ex Ebr. 13: 12. seqq. hausta, §. 5. Hircum illum ad *Apostolos* præsertim, & in primis ad Paulum, refert. §. 6. Ritus veterum, devovendi aliquem pro toto populo. §. 7. Quomodo novæ sententiæ conveniat. (1) *Sors*, per quam ad hoc negotium destinatus ille est: §. 8. (2) quod per hirci alterius mactationem & oblationem, hic a morte liber & vivus dimissus sit? §. 9. (3) Quod hic æque ac ille a congregatione Israelis sumi, alterque alteri par esse debuerit? §. 10. (4) quod hic non nisi expiatione per illius sanguinem jam facta, imo ipse quoque expiatus, in desertum ejectus sit? §. 11. (5) quod in desertum ejectus, & Asaseli traditus? §. 12. (6) quodque Sacerdos maximus utraque ante manu ei imposita peccata populi super ipso confessus sit, eique in desertum asportanda quasi imposuerit? §. 13. 14. (7) & quod denique viro, eum in desertum educenti, *loto* demum redire in castra licuerit? §. 15. 16.

§ I.

LEgenti nuper mihi auream D. Pauli ad Ebræos Epistolam, ex consideratione vs. 13. C. XIII. cum v. 11. & 12. collati, nova hæc incidit cogitatio, annon ipsi Ebræi fideles, & Apostoli præsertim, per Judæorum ipsiusque Synedrii persequutiones Hierosolymis Judææque pulsi

&

& extorres, gentibusque vexandi & occidendi propinati, per *hircum* illum *emissarium* Lev. 16. in festo כפרים *Kippurim*, expiatione sanguine alterius hirci (Christi extra dubium typi) jam factâ, a sanctuario abactum, vivumque in desertum dimissum, sint præfigurati? hunc enim in illis, illosve in hoc, videre mihi videbar clarissime. Quam itaq; sententiam, nondum antehac, quantum equidem scio, in medium a quoquam prolatam, saltem ut conjecturam hactenus meam, cum Viris doctis & intelligentibus (quorum & ipsorum de hoc Hirco sententiæ variant) duxi communicandam; ut, illâ propiùs consideratâ, eam vel confirment ulterius & perpoliant, si eis forte placuerit, τὸ ὑστέρημά μου ἀναπληρῶντες, vel &, si displicuerit, mittant meliorique posthabeant.

§. II. Duæ hactenus hoc de *hirco* illo ἀποπομπαίῳ *emissario* cognitæ sunt sententiæ: Quarum altera illorum est, qui eum *populi Judaici*, secundum legem quidem puri, sed petulantis & immorigeri, ac (quod de hoc hirco Judæi tradunt) *Sammaëli* s. Angelo mortis, (qui illis est עזאזל *Asasel*, v. 8. & 10. d. Lev. 16. cui hircus ille sortitò cedebat) pro præda ac portione dati; sive *Judæorum infidelium*, ab omnibus Israelis tribubus separatorum, harumque peccatis gravatorum, qui reliquis, bello absumtis, superstites, per Romanos e terra sua pulsi & inter gentes dispersi ac vagi majorum-

que ſuorum peccata ubique terrarum luunt, typum habuiſſe, ſtatuunt; (Cui & ipſe Celeb. Coccejus, ejusque Sectatores plerique, Wayenus præſertim, in *Variis Sacris*, ut & Cl. Lampius, ſuffragatur, qui eam nuper in *Myſterio fœd. grat. ſub œconomia legis*, C. 27. magno niſu ſtabilitum ivit) altera verò illorum, qui illum, perinde atque alterum, qui per ſortem *Jehovæ* cedebat, cujusque ſanguis adyto inferebatur, ad expiationem peccatorum populi faciendam, ipſum quoque Chriſtum, ſub alia nempe σχέσει *diverſimode* ſpectatum, (uti Levit. 14: 4. ſeqq.) prætigurâſſe volunt, ut qui verè tanquam hircus ἀποπομπαῖος ſive ἀποτρόπαιος, h. e. *mali depulſor*, peccata populi abſtulit: Cui ut jam veterum nonnulli, Tertullianus *adv. Judæos*, Cap. 14. Theodoritus Q. 12. in Levit. alii, ſic & e recentioribus haud pauci, Seb. Schmidius, in *Diſſert.* de *hirco* ἀποπομπ. Majus in *Oeconom.* C. 30. Langius in *Myſter. Chriſti & Chriſtianiſmi*, P. III. C. VIII. Akkerslootius, in *Comment.* ad Epiſt. ad *Ebræos*, C. 13: 11. ſeqq. Biermannus in *Moſe & Chriſto*, L. 4. C. 6. &c. ſubſcribunt.

§. III. Ex illis omnibus Akkerslotius præſertim multis eam argumentis ſpecioſe tuetur, interque alia loco Paulino d. Ebr. 13: plurimum nititur, ubi Apoſtolus, ſicuti v. 11. & 12. priorem hircum, cujus ſanguis ſanctuario inferebatur, extra controverſiam reſpicit, Conf. d. Lev. 16: 15. ejusque typum ad Chri-

Chriſtum applicat, ita v. ſq. 13. ad alterum, np. emiſſarium ipſi videtur reſpicere, illiusque typum ſimiliter ad eundem Chriſtum applicare: ubi ait: *Exeamus igitur ad eum*, Chriſtum, *extra caſtra* (politiæ Judaicæ) *probrum ejus portantes:* manifeſta nimirum ad hircum emiſſarium alluſione facta, qui cum in deſertum educebatur, omni contumeliarum genere affici ſolebat, his pilos ei evellentibus, illis eum conſpuentibus, pungentibus, tundentibus, dicentibus: *Vade & exi! Vade & exi!* Quemadmodum & Tertulliani hanc in rem teſtimonium affertur, ubi de hoc ipſo hirco d. C. 14. *adverſus Judæos* ita ſcribit: *Unus illorum* hircorum, np. emiſſarius, *circumdatus coccino*, (quod Judæi factum tradunt, ut nimirum panniculo hoc coccineo, ad cornua ejus alligato, ab altero hirco, qui *Jehovæ* per ſortem ceſſerat, dignoſceretur) *maledictus & conſputatus & convulſus & compunctus à populo extra civitatem abjiciebatur in perditionem, manifeſtis notatus inſignibus Chriſti paſſionis: qui, coccinea circumdatus veſte, & conſputatus & omnibus contumeliis conflictus, extra civitatem crucifixus eſt.* Quibus utique ſententia illa, quod uterque hircus unum eundemque habeat antitypum, Chriſtum, quodammodo videtur confirmari. Præſertim cum & ſecundum Thalmudicorum in *Miſchna* traditionem ambos illos hircos *pares* eſſe, *adſpectu, ſtatura & precio*, oportuerit. Quo & illud Rekanatenſis refertur, in legem

de *hirco emissario* sic commentantis: *Unus hircus gratiæ symbolum est, quia offertur in altari, & propinquat Deo, facitque accessum offerenti: Sed alter, judicii & justitiæ, quæ reos à se removet, & tradit in potestatem tortoris, Satanæ, qui non potestatem habet in quempiam, nisi quem Dei justitia ei tradiderit.*

§. IV. Quæ duæ Virorum utrinque doctissimorum sententiæ, cum adversis inter se frontibus pugnent, mihi jam tertiam, per modum saltem conjecturæ, addere liceat; non pluribus forte aut majoribus, difficultatibus obnoxiam, adeoque nec minori se probabilitatis specie, ut spero, commendaturam, quam una illarum. Quam utramque probabilitatis quidem aliquid, nec minus tamen etiam improbabilitatis habere, à mutuis illarum Patronis & Oppugnatoribus satis jam ostensum est.

§. V. Ego vero ipse quoque ex eodem v. 13. C. XIII. Ep. ad Ebr. cum v. 11. & 12. ibid. collato, hanc meam conjecturam primum hausi, ubi Apostolus, postquam v. 12. *Jesum*, hirci instar expiatorii, (cujus corpus, post sanguinem jam ante intra tabernaculum effusum, & ad faciendam coram *Domino* adspersionem, sanctuario illatum, deinde extra castra igni dabatur, v. 11.) sanguine ipsius jam intra pomœria Hierosolymitana (cum nimirum flagris scinderetur spinisque caput ejus confoderetur) copiose fuso atque sparso, postea,

ut

ut populum ſuum *ſanguine ſuo ſanctificaret*, *extra portam* mortis ſupplicium *eſſe paſſum*, ſive corpus ejus iræ divinæ flammis in ara crucis traditum, memoraſſet, in continenti ſubjicit, *jam igitur* ſibi quoque & Ebræis (alterius hirci, np. emiſſarii, inſtar, tanquam anathemate devotis & mortis Angelo traditis, eque Hieroſolymitanis totiusve Judææ pomœriis ejectis, aut propediem ejiciendis) *exeundum eſſe ad illum*, quaſi in deſertum gentium, Ezech. 20: 35. Hoſ. 2: 13. inter quas regnum ſuum nunc erigebat, *ut* illic *extra pomœria* Hieroſolymitana, cum nomine Chriſti, Act. 9: 15. *probrum* quoque *ejus portent*, h. e. imagini ejus, per communionem παθημάτων *paſſionum* mortisq; ipſius conformentur, Rom. 8: 17. 29. Phil. 3: 10. Certe ita Paulum hic alterius hirci, np. *emiſſarii*, typum cum typo prioris, *expiatorii*, componere, perſuaſus, planeque in eo confirmatus fui, cum vel ipſius Akkerslootii ad h. l. Commentarium, ſupra allegatum legi, miratus etiam quod ille non æque ſaltem, ſi non prius, de *Ebræis* & *Apoſtolis* hic cogitaverit, quos utique imagini Chriſti, omnibus modis illuſi, conſputi, flagris cæſi, & Hieroſolymis ejecti mortique dati, omnino conformandos, &, Sacerdotum præſertim plebisque etiam Judæorum auſpiciis atque incitamento conformatos fuiſſe, Novi Teſt. tabulæ affatim docent. Vid. d. Rom. 8: 17. 29. Phil. 3: 10. 1. Joh. 2: 8. & Conf. Ebr. 10: 32.

sqq. 1. Thess. 2: 14. 15. 2. Thess. 1: 4. sqq. Actaque Apost. passim.

§. VI. In primis verò hic de ipsis *Apostolis*, & præsertim de *Paulo*, cogitavi, qui unus, instar omnium, illustris & qs. præcipuus hirci hujus fuisse antitypus mihi videbatur, ut in quo ea, quæ de illo memorantur, complementum haud obscurum habuerint: Cum ille 1. Cor. 4: 9. sqq. de se, suisque in munere Apostolico collegis, graviter testatus sit, *Deum* ipsos *spectandos proposuisse*, (Conf. 1. Thess. 3: 3.) *ut morti addictos*: ipsos enim *spectaculum mundo esse factos*, & *Angelis & hominibus*, *ut stultus propter Christum*, *infirmos & ignominiosos*; *esurire ipsos*, *sitire*, *nudos* propemodum *incedere*, *colaphis cædi*, hincque & inde *errabundos circum* vagari, *convitiis affici*, *ferre persecutiones*, *blasphemiis proscindi*, imo περικαθάρματα, purgamenta, *mundi factos*, & *omnium hominum ramentum*, sive (ut Syrus interpres h. l. τὸ περίψημα reddit) *piaculum*. Conf. Rom. 9: 2. & Lutheri h. l. glossam, ad voces περικαθάρματα & περίψημα, quæ ipse Fluch und Feg-Opffer transtulit, hæc subjicientis: Fluch und Feg-Opffer / (lat. *piaculum*) hies ein Mensch / der eine solche böse That begangen hatte / daß man meynete / GOtt würde Land und Leute darum verfluchen und verderben. Darum / wenn sie denselben abthäten / meyneten sie / sie hätten den Fluch abgethan und das Land gereiniget. Solch ein Fluch war der Prophet Jonas / da er

ins

ins Meer geworffen ward. Zuweilen nahmen sie auch einen unschuldigen Menschen / wenn so grosse Plage im Lande war / und / meynende / sie fegten das Land von solcher Plage mit solchem Opffer / wurffen ihn ins Meer und sprachen: Du seyst unser Feg-Opffer / daß wir genesen und erlöset werden. Also meynet die Welt / die Apostel &c. Idem Luth. confert ibid. Joh. 16: 2. *Ex Synagogis vos ejicient, arbitrantes, per hoc se cultum præstare Deo.*

VII. Quæ sane ut in Paulum vel inprimis conveniunt, (Vid. & Act. 22: 22. c. 21: 36. 27: 30. 31. 32. it. C. 23: 2. 3.) ita & illis, quæ de *hirco emissario* superius dicta sunt, sic satis exacte congruere, nemo forte inficiabitur: qui, LXX. etiam Interpretibus Græcis ἀποπομπαῖος *mali depulsor* dictus, peccata populi in desertum efferens, mala quoque *pœnæ*, quæ mala *culpæ* insequuntur, simul abstuliſſe, ideoque Pontificem, ex Dei instituto, totius populi nomine peccata confessum, hæc in illius hirci caput rejeciſſe, Judæis traditur. Quem Lutherus in dicta gloſſa memorat Veterum ritum, Suidas, in voce περίψημα, rectissime exponit, nempe homines quosdam damnatos, secundum morem sacrificiorum sertis redimitos, esse productos, eque præcipiti loco in mare deturbatos, ut Neptuno consecrandos, his additis verbis, περίψημα ἡμῶν γένοι, *pro nobis piaculum esto!* Quæ si huc quodammodo pertinent, aut negotium

hirci emissarii illustrare possunt, quod nobiscum sane Goodwinus in *Mos.* & *Aaron.* L. 3. c. 8. §. 8. existimat, ubi, *Græcos* exinde *annuam* illam *civitatum suarum expiationem* sumsisse, *verisimile esse*, dicit) nostræ sententiæ haud parum conciliant probabilitatis; illam vero de *populo Judaico*, quasi hujus hirci antitypo, imo & alteram istam, de ipsomet *Christo*, quasi per hunc æque ac per alterum, diversa quidem ratione, præfiguratum, saltem prout hæc vel a Theodorito, vel & a Seb. Schmidio, explicatur; quorum ille, hunc hircum *divinam*, sicut alterum, *humanam*, Christi naturam; hic vero, alterum istum Christi *mortem*, hunc autem ejusdem *de peccato victoriam ac triumphum*, præfiguratse, statuit,) minus reddit probabilem: ut quilibet, me vel tacente, facile intelligit.

§. VIII. Sed ad specialiora nunc, & ad palmarias quasdam circumstantias, deveniamus, d. Lev. 16. de hujus hirci negotio memoratas visuri amplius, num ea huic nostræ sententiæ congruant, illamve locum habere, aut præ aliis dictis tueri patiantur. Principio *per sortem* electus ac determinatus est hic hircus, qui *vivus* in desertum *dimittendus* erat, sicque ab altero, qui ad faciendam pro peccatis expiationem erat mactandus, sortito distinctus, ut pateret, quis illorum *Jehovæ* cederet, quis *Asaseli*. Jam certum est, *sortem* in Scripturis providentiam, h. e. præscientiam Dei de-

denotare, qua ille ea etiam, quæ hominum intuitu fortuita sunt & contingentia, speciatim & exacte prædefinivit in Scriptis propheticis. Psal. 139: 1-6. 16. (Quamobrem Apostoli, collegam sorte lecturi, tum ad prophetiam tum ad designationem Domini provocant. Act. 1: 20. 24. 26.) At vero ut in prophetiis ex præfinito Dei consilio designatus est Christus, qui sacrificium pro peccatis fieret, eaque sanguine suo fuso, & corpore suo in cruce fracto, imo iræ divinæ flammis quasi tradito, expiaret, Esa. 42: 1. Act. 2: 23. c. 4: 28. 1. Petr. I: 19. 20. Rom. I: 4. ita &, qui, qualesve, ipsius sint, & speciatim Apostoli, per æternam Dei præscientiam ac præfinitionem, seu propositum, in prophetiis patefactum, designati sunt. Vid. 2. Tim. 2: 20. Psal. 16: 6. Gal. 1: 15. coll. Act. 9: 15. & Rom. 1: 1. Joh. 15: 16. 19. d. Act. 1: 17. 24. 25. Apostoli certe (ut ex hoc postremo loco, d. v. 17. coll. v. 26. patet,) & primitivi ex Ebræis Christiani, hirci istius emissarii instar, per *sortem* quasi *lecti erant*, Eph. 1: 11. nempe ut in peculium Christi, ita & ad communionem tam παθημάτων quam gloriarum ejus, post illa expectandarum. Rom. 8: 17. 29. Phil. 3: 10. 1. Petr. 1: 11. Unde &, qui fidem Christi recipiebant, κλῆρον *sortem* inter sanctificatos Dei filios, dicebantur, accipere; Act. 26: 18. infideles vero non habere partem neque κλῆρον *sortem* in sermone, s. doctrina, Christi. Act. 8: 21.

21. Conf. Col. 1: 12. & 1. Petr. 5: 3. ubi fideles ipsi etiam κλῆρος Domini appellantur.

§. IX. Quemadmodum, *hirco expiationis* morti destinato ac mactato, *hircus emissarius* per hoc, ut ad expiationem ineptus declaratus, ita & a mactatione liber, mortem evadebat, vitamque servabat & vivus dimittebatur; sic & Apostoli, ac cæteri Christiani, morte Christi vicaria & piaculari, non tantum ut impares satisfaciendo pro peccatis declarati, Ps. 49: 9. sed & ipsi morte redemti, ad vitam æternam servati sunt, liberique dimissi, Christo quippe, agno Dei, pro ipsis, sive ipsorum loco, mactato. 1. Cor. 5: 7. Quorsum &, occultiore saltem sensu, spectat, quod Christus Joh. 18: 8. iis dicebat, qui vincula ipsi intentabant, *si me quæritis, bos dimittite*, vel sinite, *ut liberi abeant*: quando ipse maledictio pro suis fiebat, ut eos a maledictione redimeret, Gal. 3: 13. membris quippe, fracto capite, jam non frangendis, Joh. 19: 33. 36. justoque pro injustis mortuo, ut eos ad Deum adduceret, 1. Pet. 3: 18. suave morte ad vitam servaret. Ebr. 2: 14. Hic sane non video, quomodo hoc jam sive ad *Christum* rursus ipsum, sive ad *Judæos reprobos*, ex Reformatorum saltem hujus sententiæ patronorum hypothesi de redemtione Christi non universali, applicari commode possit.

§. X. Quemadmodum vero uterque hircus e congregatione Israëlis accipiebatur, v. §. ita & Apostoli, ac Ebræi ejusdem cum Chri-

sto-

ſto ortus atque generis erant nimir. ex Iſraële: & quod in *Miſchna* etiam traditur, ambos illos hircos *pares* eſſe oportuiſſe, *adſpectu*, *ſtatura* ac *precio*; hoc non minus in illos & Chriſtum convenire deprehenditur: cum & hic (Chriſtus) in *ſimilitudine carnis peccati miſſus* apparuerit, Rom. 8: 2. *forma ſervi accepta in ſimilitudine aliorum hominum exiſtens*, & σχήματι, *ut* alius quisque *homo inventus*; (licet, in forma Dei exiſtens, ipſi Deo par eſſet) Phil. 2: 7. 8. & *fratribus ſuis ſecundum omnia aſſimilatus fuerit*, Ebr. 2: 17. C. 4: 15. & illi etiam *prædefiniti a Deo fuerint ipſius imagini conformandi*, Rom. 8: 29. coll. Phil. 3: 10. 11. & 1. Joh 2: 8. Conferri adhuc poſſent, quod ad paritatem *ſtaturæ*, verba Eph. 4; 13. & quod ad paritatem *precii*, Joh. 17: 22. 23. 26. Quæ ipſa jam rurſus ad *Chriſtum*, quaſi per hircum ut expiatorium, ita etiam emiſſarium, indigitatum, minus commode, ad *Judæos* vero reprobos nullo plane modo, videntur poſſe applicari.

§. XI. Quemadmodú hircus emiſſarius tamdiu in atrio permanebat, donec expiatio plene facta atque peracta eſſet, v. 20. ita & Apoſtoli ceterique ex Ebræis fideles tamdiu in communione eccleſiæ Judaicæ perſeverarunt, donec totum redemtionis negotium executioni eſſet datum, cujus nempe & omnium eorum, quæ circa Jeſum acta ſunt, teſtes αὐτόπται extiterunt. Act. 1: 8. 22. C. 2: 24. 32. C. 3: 15. C. 10: 39. 41. Joh. 15: 27. Et, quemadmodum

dum hircus ille, antequam educeretur, a Sacerdote coram Domino sistebatur, ac per sacrificium hirci expiatorii una cum toto populo Dei *expiabatur*, v. 10. coll. v. 9. ita & Apostoli atque Ebræi, ante suam ex Hierosolymis & Judæa expulsionem, per sacrificium corporis Christi una cum universo filiorum Dei cœtu, cum qui ante vixerant, (Vid. Rom. 3: 25. Ebr. 9: 15. coll. Zach. 3: 9.) tum qui post hæc e gentibus colligendi erant, (Joh. 11: 52.) expiati sunt, Conf. Col. 1: 12. 13. 14. 21. Eph. 2: 16. 1. Joh. 2: 2. quos etiam Christus, se jam jam pro illis sacrificaturus, coram Deo Patre quasi stiterat, suisque ei precibus commendaverat. Joh. 17: 6. sqq. imprimis v. 17. sqq. Esa. 8: 18. coll. Ebr. 2: 13. Vid. & Eph. 5: 2.

§. XII. Quemadmodum Hircus emissarius, atrio expulsus, *in desertum educebatur*, ibi *Asaseli*, Dæmonum nequissimo, (ut Judæi volunt) ad torquendum tradendus; sic etiam Apostoli & Ebræi, non multo post adscensionem Christi in cœlum Hierosolyma & tota paulatim Judæa cœperunt expelli, inque regiones vicinas dispergi, Act. 8: 1. 4. 5. ut qui captivi passim *traherentur*, ib. v. 3. Conf. Joh. 16: 2. Ebr. 10: 32. 33. 34. 1. Thess. 2: 14. 15. ex quo in deserto gentium Hos. 2: 13. Ezech. 20: 35. a Dracone, Diabolo s. Satana, gentes ad crudelissimas Christianorum persecutiones instigante, multum vexati & gravissima passi sunt. Apoc. 12: 1. sqq. d. 1. Thess. 2: 14. 15. 2. Thess. 1: 4. sqq.

ſqq. Exemplum ejus rei ſpeciale in *Paulo* rurſus habemus, qui Hieroſolymis, è templo tractus inque manus gentium traditus eſt, Vid. Act. 21: 27. 30. 33. & primum Cæſaream, Act. 23: 23. 24. 33. poſtea Romam abductus, ubi, ut & alibi paſſim, perſecutionem a gentibus æque ac a Judæis ante etiam ubique, paſſus eſt. V. Act. 9: 23-25. C. 16: 17. 18. 19. 2. Cor. 11: 26.

§. XIII. Quid verò ſibi voluerit, quod Sacerdos *capiti* iſtius *hirci ambas manus ſuas* ante *imponeret*, & *peccata populi* Dei *ſuper illo confiteretur*, *eique* qſ. *imponeret*, in illo *in deſertum aſportanda*, v. 21. 22. non ſatis mihi liquere hactenus fateor, & ſane difficile hoc videtur conciliatu cum eo, quod v. 10. legimus, hunc ipſum hircum jam ante ſui eductionem ac dimiſſionem in deſertum una cum toto populo Dei fuiſſe *expiatum*: quid igitur, poſt peccatorum populi, ipſiusque etiam hirci illius expiationem, alterius hirci ſanguine factam, ſibi adhuc vult *peccatorum* iſtorum *in caput* illius *hirci confeſſio*, *inque deſertum aſportatio*? Hic dicendum mihi hactenus, *non liquere*. Sufficit mihi interim, quod hoc neque illorum ſententiæ, qui vel de Chriſto, vel de Judæis reprobis explicant, ſatis per omnia quadret: Cum non niſi de ſubjecto aut ſubjectis ſanguine Chriſti reapſe *expiato* vel *expiatis* (adeoque minime de Chriſto ipſo, aut de Judæis reprobis) cogitare hic liceat.

§. XIV.

§. XIV. Judicent vero Viri docti, an *manuum ambarum Sacerdotis in caput hujus impositio*, designarit, quod Christus jam jam in cœlum adscensurus, Apostolis primisque e Judæis fidelibus sublatis super illos manibus benedixit, Luc. 24:50. 51. inque ipsos effuso deinde Spiritu S. dona, tam ministrantia (quæ dicuntur) quam sanctificantia, utraque quasi manu largissime contulit? Act. 2:1. sqq. Et, an *peccatorum populi* Dei *in caput* hujus *hirci impositio, eorumque in desertum asportatio*, designavit, impositum esse Apostolis munus, ubique inter gentes per evangelii præconium declarandi, peccata sanguine Christi expiata esse & ablata, sive a conspectu Dei longissime remota? An vero dicendum sit, Apostolos & Ebræos, cum illas, quas modo dixi, persecutiones passi sunt, suo quodam modo pro peccatis totius populi Dei, quorum scil. ab hostibus rei peragebantur, ipsis quasi ad luendum (non coram Deo, sed coram mundo) impositis, esse passos? cum illos Christus, post effusum in ipsos Spiritum S. & collocata hujus in eosdem dona, *piaculum* quasi fecerit, 1. Cor. 4:13. ut, pro peccatoribus qs. & maleficiis, orbisque terrarum peste habiti, loco Christianorum, ipsis tempore succedentium, in mundo gentium male haberentur & debitis qs. suppliciis afficerentur a Judæis juxta & gentibus, utrorumque videl. persecutionibus ubivis objecti, ut illis obitis & exantlatis ipsorum fratres inque fide

fide ſucceſſores, veniam tandem plenamque libertatem ac pacem in orbe Romani Imperii conſequerentur? Quod ſane ita & eveniſſe, conſtat. Conf. 1. Cor. 4: 9-13. coll. v. 8. Eph. 3: 13. Col. 1: 24. Phil. 2: 17. 2. Tim. 4: 6. 1. Joh. 3: 16. Apoc. 12: 9. 10. 11. C. 20: 1-4. Ego meam ſic dixi conjecturam potius quam ſententiam. Quod ſi rem acu hic non tetigi, alii ſuggerant ſubſtituantque rectiora.

§. XV. *Vir* ille, cui Pontifex hircum in deſertum commiſit educendum, v. 20. quique ut *immundus* hactenus, deinde *veſtes ſuas corpusque aquis abluere* debuit, ſic demum *in caſtra Iſraelitarum rediturus*, typus mihi videtur fuiſſe illorum Judæorum, qui Pontificis præſertim & Synedrii autoritate atque auſpiciis, accepta quippe ab illo poteſtate, (V. Act. 5: 17. 18. C. 9: 1. 2. 14. C. 22: 5. C. 26: 9-12.) Apoſtolos & Ebræos perſecuti ſunt, ſicque templo & Hieroſolymis, imo tota paulatim Judæa, expulerunt, V. Act. 21: 27. 30. 36. C. 26: 11. 1. Theſſ. 2: 14. 15. Conf. Rom. 9: 2. poſtea vero & ipſi ad fidem & caſtra Chriſtianorum perducti ſunt. Cujus rei ſingulariſſimum rurſus exemplum in Saulo illo Chriſtianorum perſecutore habemus, qui, etſi, ubi poſtea ipſe ad Chriſtianorum caſtra tranſiit, Paulus tunc communiter appellatus, alia iſta χάρις ipſum etiam *hircum* emiſſarium in exemplo ſpecialiſſimo (ut jam ſupra dictum) retulit, hic tamen alio illo intuitu *Virum* iſtum hirci eductorem repræſentavit.

V. d. Act. 9: 1. 2. 14. C. 22: 5. C. 26: 9. 10. 11. 12. Qui &, cum, ad castra Christianorum transiturus, baptizatus est, d. Act. 9: 19. C. 22: 16. *vestes* una cum *corpore aquis* dici potest *lavisse*, (quæ ipsa Phrasis ut alibi passim, ita Exod. 19: 10. de ipso fœderi Dei initiandorum baptismo adhibetur) *inque castra rediisse*. Id quod & de aliis ipsius similibus Christianorum persecutoribus, postmodum ad fidem Christi perductis, cogitare licebit. Vid. Act. 6: 7. ubi *multi etiam Sacerdotes* Christo se addixisse leguntur; quorum & nonnulli forte antea (sicut Saulus ille) Christianos insectati fuerant.

§. XVI. Unde &, si dixeris, *Sacerdotem*, Viro cuidam, ut hircum in desertum educeret, committentem, non posse in antitypo ipsum Sacerdotem typicum V. T. designare, sed antitypicum, Christum, non repugno, neve meæ illud repugnat sententiæ: quippe qua salva ipse verus Sacerdos, Christus, operarios in messem suam *ejecturus*, Matth. 9: 38. per manum dictorum persecutorum dici potest Apostolos & Ebræos in desertum gentium, illis evangelium annunciaturos, *eduxisse*, imo *ejecisse*, eosque adeo persecutionibus objectos morti quasi tradidisse, Vid. Act. 14: 22. 1. Cor. 4: 9. ubi ipse Paulus ait: *Dominum*, *ipsum* suosque collegas, *tanquam morti addictos*, *proposuisse spectandos*, omnibusque modis affligendos. Ita ipse Christus

Pau-

Paulo dicebat: *Abi, ego te procul ad gentes mittam:* Act. 22: 21. perque eum ipsum & Ebræis, *Exite e medio* Judæorum. 2. Cor. 6: 19. Esa. 52: 11. coll. Ebr. 13: 13. 14. Vid. & Joh. 10: 3. 4. ubi Christum, oves suas antecedentem, eas ex caula Synagogæ Judaicæ *eduxisse*, quin &, persecutoribus np. administris, *ejecisse*, intelligimus. Conf. d. Math. 9: 38. Ut ita Sacerdotes Hierosolymitani, simul cum supra dictis ipsorum emissariis subdelegatis per *Virumillum*, cui hircus in desertum educendus a Sacerdote permittebatur, designati possint intelligi; Qui & vel in seris suis nepotibus tandem ab immunditie legis, eos per præstitam in Christo veritatem impurantis, Esa. 66: v. 3. loti ad castra Christi sint reversuri.

Vide Hos. 3: 5.

Tantum.

III.

De felicibus Ecclesiæ BREMENSIS initiis, & ejus primorum Episcoporum meritis (a) Schediasma.

§. 1.

CLarissimum Evangelii lumen jam dudum multas Germaniæ gentes illustraverat, antea quam illud has regiones sua luce compleret. Et enim superioribus temporibus multos cis Rhenum & Danubium populos disciplina salutari mitigatos, multasque non obscuri nominis Ecclesias passim fundatas fuisse, annales referunt. Fuerunt multi, qui causas tradiderunt, illius tarditatis & cunctationis; ex quibus nonnulli existimaverunt, citius in illis partibus immortalis Dei cultum radices egisse propter crebrum negotiationum commercium, sed hæc ratio non magnum pondus habet; Certum enim est, Societatem mutuis vicinorum negotiis ubivis adhuc parum stabilitam fuisse. Neque credendum est, uti alii volunt, reliquas gentes hu-

(a) Hoc ad me a Viro quodam nobilissimo, doctissimoque, sed, qui, quae ejus modestia est, nomen suum adscribi noluit, transmissum est.

humanitate Caucos viciſſe, adeoque proniores fuiſſe ad novam amplectendam doctrinam. Hi Einhardum quidem hanc in rem citant, qui hoc modo de illis pronunciavit; *Saxones ſicut omnes fere Germaniam incolentes nationes, & natura feroces & cultui dæmonum dediti, noſtræque religioni contrarii, neque divina neque humana jura vel polluere vel transgredi inhoneſtum arbitrantur.* Sed Einhardi hæc auctoritas, in illorum ſententiam, nos eo minus inducet, quia ex aliis ejusdem auctoris locis alii dudum obſervaverunt, eum magnum odium in Saxones habuiſſe, utpote qui inſitam animis fortitudinem nimium pertinaciter pro ſalute communi contra exercitum Caroli propugnaverant, non ſemel a cervicibus jugum abjecerant, & in libertatem priſtinam ſe vindicaverant. Neque majorem habebunt vim, quæ Regino, & Abbas Stadenſis ſcripſerunt, utpote qui crediderunt, non melius quam ex coævo ſcriptore narrationes ſuas ſe exornare poſſe. Aliter ſane judicat Wittekindus & præcipue Magiſter Adamus in initio Hiſtoriæ ſuæ, qui hoc inſigne & præclarum illis dedit teſtimonium, *Multa utilia atque ſecundum legem naturæ honeſta in morum probitate ſtuduerunt habere, quæ eis ad veram beatitudinem promerendam proficere potuiſſent, ſi ignorantiam Creatoris ſui non haberent, & a veritate culturæ illius non eſſent alieni.* Merito itaque rejectis illorum rationibus ſaniorum ſequimur ſententiam, & in hoc ſancto opere

divinæ ſapientiæ veneramur arcanum. Faxit modo, Deus O. M. ut hi populi, quos inter poſtremos eſſe voluit, qui gentili ritu relicto ardore religionis foverentur, etiam ad ultimum mundi finem luculentum Chriſtiano orbi cœleſtis gratiæ præbeant exemplum.

§. 2. Hanc vero divinam voluntatem, demirari eo magis debemus, quia in vicinia, & præcipue apud Freſones jam ubivis vox Dei audiebatur. Nam Viri doctrina & virtute conſpicui plurimos illorum ad cognitionem Chriſtianæ fidei adduxerant, quales fuerunt Wilibrordus, (aliis Clemens dictus,) primus Freſonum Doctor, qui a Sergio Pontifice ad eos, Anno Chriſti 695. miſſus eſt, ut notat Albertus Stadenſis, & qui circa eadem tempora, in initio nempe ſeculi Octavi vixit, Sanctus Heddius, Occidentalium Saxonum ſeu Weſtphalorum Epiſcopus, ſecundum Chronicon Hermanni Contracti. Maxime autem celebratur Winifridus, natione Anglus, Primus Germanorum apoſtolus, cui propter virtutem poſtea nomen datum eſt Bonifacii, qui initio Freſones, deinde alios etiam populos in familiam Chriſti deduxit, poſtremo autem cum iterum in Friſiam iter feciſſet, diro cruciatu ſupplicioque periit anno 754. Non tamen interiit ſparſum illud divinum ſemen; nam poſt ejus mortem Deus excitavit Venerabilem Willehadum, natione itidem Anglum, ſancto Bonifacio, ut quidam volunt, pro-

propiore cognatione conjunctum. Is vigilanti cura, assiduis laboribus & admonitionibus (quibus ad procreandum uberiorem fructum mira inest vis) incrementum ejus magnum in modum promovebat.

§. 3. Hucusque profana gentilium religio densis tenebris hominum animos in hac Germaniæ plaga obscuraverat, & nomen Domini incognitum manserat, tandem tamen usque ad Visurgim & Albim penetravit. Hoc autem factum est, uti diversi scriptores memorant, eo tempore, cum adhuc duraret grave illud bellum Saxonicum, quod jam immensam hominum multitudinem consumpserat, & licet de pace conventum esset, facto tamen monstravit bellicosa hæc & liberrima natio se tantum illam simulasse, ut lacessitas recuperarent vires. Interea autem Carolus Magnus hunc Willehadum ob summam pietatis & sanctitatis celebritatem ex omnibus Bonifacii discipulis selegerat, eumque solum parem judicaverat, populis ad Christianam fidem provocandis. Nulla sane gens, quod sciam, difficilius ad recipienda Christi sacra permoveri potuit. Testatur illud Crantzius in Saxon. lib. 2. cap. 17. HADELERI, inquit, *extremi Germanorum ad littus Albiæ extimum siti, quod siderent inviis paludibus, detrectavere jugum, sed Rex nullo labore potuit avocari, quo minus in eos duceret, KARLSAND hodie vocant locum ad mare, in quo Rex castra fixit, gentemque perdomuit.*

muit. Similiter recenſet Albertus Stadenſis hanc cauſam moviſſe Imperatorem, ut decem millia hominum juxta utramque Albis ripam habitantium in Galliam & ſuperiorem Germaniam deduceret. Quamdiu itaque hoc diuturnum bellum nondum confectum erat, tamdiu primus Eccleſiæ ſtatus non niſi jugis & concatenata fuit perſecutio & Willehadus cum diſcipulis ſuis, in Chriſtiani nominis ludibrium, indigna quævis perferre cogebatur, imo plurimi illorum Bremæ, & in loco finitimo ubi poſtea Fanum S. Magni exſtructum eſt, acerbiſſime, crudeliſſimeque necabantur. Cum vero poſtea pax ſolemni fœdere, ſecundum hanc quam habet Eginhardus formulam, confirmata eſſet, ſcilicet *ut Saxones unus cum Francis eſſet Populus, ſuisque legibus viveret*, ut & ſub conditione *quod priſtina libertate donati & omni debito cenſu ſoluti eſſent*, vid. Crantz. Metrop. 1: 7. tunc inquam incolæ civitatis Bremenſis puram religionem ſuſceperunt & ab eo tempore ſancte eam ſemper tuiti ſunt. Hoc factum eſt Anno a Nato Chriſto 788. in quo etiam Willehadus a Carolo conſtitutus Epiſcopus & Cathedra Eccleſiaſtica fundata eſt. Qui deinde adhuc biennium vixit, & ligneam Eccleſiam in Vrbe ædificavit, quam ſucceſſor ejus lapideam fecit.

§. 4. Nam, uti omnium rerum initia exigua plerumque eſſe ſolent, quæ ſuis progreſſio-

sionibus augentur, sic id quoque contigit Ecclesiæ Bremensi. Ædificia, aut latifundia in principio nulla possedit, nec sibi subjectos aut Decumanorum & Villicorum fidei atque procurationi commissos agros tenebat. Peculium ecclesiæ in Oblationibus eduliorum, quæ festis diebus præbebantur, & in decimis consistebat, quas quidem vetustissima consuetudine receptas & a sanctissimis viris probatas fuisse docet *can. revertimini & can. Decimæ* 16. *quæst.* 1. Præbebantur illæ ex Septuaginta agellis seu mansis, earumque pars in constructionem novæ Ecclesiæ erogata est, reliqua pars vix sufficiebat, egestati sustentandæ, sicuti ex ipso diplomate Caroli Magni apparet. Eapropter etiam Imperator contiguam Fresiæ partem postea in perpetuum eidem donavit, alias deinde adhuc addidit centum portiones, prout refert *Adamus Bremensis* ex Pandectis Ecclesiæ quos citat *l: 19.* Postquam autem religio majores in Urbe progressus fecisset, crevit etiam thesaurus. De Willehadi successore legimus, illum jam de populo magnam Bremensi Ecclesiæ acquisiviſse hereditatem, quæ post ducentos annos eum in modum crevit, ut ex patrimonio ejus amplissimo magnam pecuniæ summam promere potuerit Vnwannus, quam ad conciliandos sibi Regum Septentrionalium animos larga manu distribuit.

§. 5. Deinde augmentum ingens sub hoc Archi-Episcopo, ejusque successore Libentio ex liberalitate Olai Regis Sueciæ & Bernhardi Saxoniæ Ducis, ejusque fratris accessit. *Adam. Brem. lib. 2. cap. 41. & 49.* Sed utinam ea, quæ initio ad necessarium vitæ usum, & ad nutrimentum Sacerdotum expetita sunt, quæque ad sacrarum ædium constructionem, egenorum & peregrinorum sustentationem, ac captivorum redemptionem à Christianis effuse donata sunt, non ad luxum postea & stabilimentum vanæ gloriæ accumulatissime impensa fuissent. Hinc fons & origo omnium postea subsecutorum malorum, ita ut una cum disciplina Ecclesiastica tota vita, natura & mores Clericorum Bremensium corrumperentur. Sed hæc quia à scopo, ad quem collineamus, deflectunt, silentio præterimus.

§. 6. Tenuia igitur Ecclesiæ initia vidimus, nunc incrementorum principium, quod in moribus, Vitæ instituto & doctrina Episcoporum positum inveniemus, explicandum est: Equidem hic maxime locum habebit effatum illud Ciceronis, *sine aliquo afflatu divino nemo unquam fuit vir magnus.* Nusquam enim divina providentia insigne aliquod negotium perficiendum decrevit, quin simul magni animi viros ad illud digne obeundum præstantissimis morum & ingenii dotibus instructos excitaret. Primi Episcopi dignitatem officii

officii non magnifice oſtentabant gemmarum nitore vel auri ſplendore, ſed cum ſordida lacerna incedentes vere piam animi moderationem & Chriſtianis convenientem ſubmiſſionem præ ſe ferebant. Summo cum jure de illis dici poſſet, quod Bonifacius jam ſuo tempore dixit: *Primo Sacerdotes aureos ligneis calicibus, poſtea è contrario ligneos ſacerdotes aureis calicibus uſos fuiſſe.* Neceſſario enim in initio deſiderabantur Præſules manſuetiſſimi & humaniſſimi, conſentiunt etiam omnes hiſtorici, (ſi Leidradum excipias) moribus adeo temperatis moderatisque fuiſſe, ut nihil ſupra. Hi enim, ſicuti Ethnici Orpheum feciſſe fabulantur, blando dicendi modo, non quidem ipſos lapides, ſed homines allexerunt, qui lapides venerati ſunt, uti non obſcure illud apud Helmold. in Chron. Sclav. l. 1. c. 83. legitur. Ita factum eſt ut ferocem illum primævæ naturæ impetum homines paulatim comprimere, & vitam ad divini ſermonis canonem componere addiſcerent. Ob hanc egregiam virtutem à finitimis populis adamati, & à proximioribus in veneratione habiti ſunt, ipſos etiam infenſiſſimorum Regum æſtuantes animos hoc modo ſibi placatos reddiderunt. Imo quod à ſuperbia & arrogantia prorſus fuerint alieni, docent ea, quæ de Leidrado ſcribunt Hiſtoriæ Bremenſis ſcriptores, illum ſibi ſuperbiæ æternam inuſſiſſe maculam, quia ſe aliquando *Cuſtodem*, aliquando *Paſtorem* Bremen-

menſis gregis dixerat. Sicuti enim ad Epiſcopalem dignitatem non per ambitionem & faſtum, ſed per humanitatem prudentiâ, ætate, & pietate comitatam, adſcenderant, ita ſingulis poſtea probarunt ſe vana præconia & imperioſa nomina, quæ cum iſtorum temporum modeſtia prorſus non conveniebant. Ab eo tempore vero cum priſtinam morum integritatem factis non amplius poſſent oſtendere glorioſis & magnificis titulis ſuperbire voluerunt. Primus hujusmodi honorem adhamavit Adalbertus, qui ſe in diplomate fundationis Cœnobii Raſtadenſis nominavit, *Almæ Romanæ & Apoſtolicæ ſedis legatum, Vicarium Papæ, nec non omnium Septentrionalium nationum Archi-Epiſcopum & Sanctæ Hammaburgenſis Eccleſiæ Proviſorem.* Is ipſe etiam in animo habuit Patriarchatum inſtituere, ſed tantæ dignitatis adipiſcendæ ſpes, una cum morte Imperatoris Henrici Tertii & Leonis Papæ evanuit. Quia vero Anteceſſores ſuos contemſerat, eosque obſcuros & ignobiles fuiſſe palam dixerat, notabile viſum in ſomniis menti ipſius objectum eſt. Vidit hos omnes in Choro Eccleſiæ & inter eos Alebrandum noviſſimum, ſacra, ut vocant, Miſſæ celebrare, & lecto Evangelio illorum oblata accipere. Cum vero ad Adalbertum veniſſet Alebrandus, abſceſſit, dicens, *Tu homo nobilis & Clarus non potes habere partem cum humilibus.* V. Adam. Brem. 4: 38.

§. 7.

§.7. Sed hæc de moribus dicta sufficiant, nunc Vitæ institutum quale fuerit paucis ostendam. Et hoc quidem primo loco dicendum mihi est, eos nunquam res Ecclesiæ & Scholæ temere neglexisse, neq; à Christi grege curæ ac vigilantiæ suæ commisso oculos dejecisse, hanc ob causam nullis profanis negotiis sese immiscuerunt, neque, ut postea inauspicato fieri consuevit, Reipublicæ res curaverunt. Ipsi etiam Imperatores & Pontifices eos sæpius admonebant, ut in finibus officii sui sese continerent, quia non ad gubernandum Imperii sceptrum, sed ad tractandum Ecclesiæ bacillum constituti erant. Sic Nicolaus Papa Primo Archi-Episcopo Anschario inculcavit, *ne susceptum munus in terrenis aliquatenus implicaret.* Acriter eandem abusionem semper redarguerunt canones, imo Episcopum secularibus curis & administrationibus se immiscentem deponi jubent *Canones Apostolici 6. & 80.* quibus jungi debent, totus titulus. *Ne Cler. vel Monachi secular. negot. se immiscеant* & Titulus *Episcopi & Ecclesiastici negotia secularia sciant.* Itaque hæc tantum cura primos Ecclesiæ Bremensis Episcopos habuit sollicitos, ut rudiũ populorũ animis sanctioris doctrinæ præcepta infunderent, & singulari vigilantia providerent, ne, quos semel traduxerant in viam veritatis, gradum unquam revocarent. Atque ita quoque factum est, ut dispulsis crassis gentilis doctrinæ tenebris, subito Evangelii lumen pro-

prorumperet, quod primo in his orbis partibus accensum est, deinde radiis coruscantibus universam undique septentrionis plagam illustravit.

§. 8. Præclare hoc ipsum probant Historiæ Ecclesiasticæ scriptores, & speciatim Adamus Bremensis. Nam de Willehadi successoribus narrant; quod divini verbi semen tantum in his faucibus Germaniæ, & intra suæ parochiæ terminos sparserint, Anscharium autem singulari studio extollunt, siquidem is primus antea, quam Bremensis Episcopus constitutus esset, eas gentes adiit, quarum mores à retro seculis inveterata barbaries infuscaverat. Is Anno 826. in Daniam iter fecit, & multos ad veram fidem perduxit, Anno 829 autem in Sueciam profectus est, ubi Herigarium Bircæ præfectum, cum multis aliis ad Christianam religionem traduxit. Deinde, cum anno Domini 834. ab Imperatore Ludovico Pio constitutus esset Archi-Episcopus, in hunc Principatum ex officio muneris sui misit Episcopum Gaubertum, quem Sueci, utpote in vera religione adhuc parum firmati, post septennium expulerunt. Ægre id tulit Anscharius, siquidem & proficisci non poterat, tum propter Hamburgum, sedem ejus Metropolitanam, à Normannis funditus eversam, tum novi operis molitionem, ubi dispersos fratres congregaret, quam prope Rambsolas parabat;

bat; tum etiam propter diuturnam litem, quam Guntharius Archi-Episcopus Colonien-sis de Bremensi Ecclesia moverat. Itaque de-mum Anno 848. postquam hæc controversia per sententiam Nicolai Papæ terminata & Bremensis Ecclesia Colonensi abjudicata es-set, legationis suæ munus ad Septentriona-les populos iterum obiit. Et primo invisit Danos, eorumque Regem Ericum, qui à fide desciverat, in meliorem viam reduxit, tum prope Sleswicum primam fundavit in his oris Ecclesiam, quod inde etiam in Suecia fecit simul atque Regem Olaum sacro baptismatis fonte abluisset. Hæc tanta Viri præclara merita, immortalem ipsi nominis famam pepererunt, quæ Bremæ adhuc in ipsis durat lapidibus, ut his verbis notavit *Paulinus in Theatro Illustrium Virorum Corbejæ pag.m.22. Quamvis homines Beatissimi hujus Viri, ut Leo IV. nominat, gloriam omnino illustrem reticerent, ipsa tamen saxa fabuntur. Abi enim Bremam & stupe S. Anscharii Templum, S. Anscharii portam, effigiem, & S. Anscharii plateam, æterna Tanti Viri monumenta.*

§. 9. Non vero Anscharius solum, sed & alii ipsius successores molesta & graviori-bus periculis obsepta itinera in longe dissita, inculta & gentilium furori exposita loca su-sceperunt. Reimbertus laborum ejus & periculorum assiduus comes late crescentes Ecclesias ab eo plantatas sæpius visitavit. Equidem non sine summo vitæ discrimine, nam

in

in crebro navigationum cursu eum non semel naufragium feciſſe legimus. Perdita valetudine & exacta ætate Adalgarius, quem ſubrogaverat, impigre hanc ad gentes legationem ſuſcepit, neq ab eo ſtudio quidquam poſtea remiſit, ad decrepitam & caſcam usque ſenectutem; Tunc *dati ſunt ei adjutores à Papa circum vicini quinque Epiſcopi, Simon Halberſtadenſis, Wigbertus Ferdenſis, Biſo Paderbornenſis, Bernhardi duo, Mindenſis & Oſnabrugenſis, quorum ope ſenex fulciretur*, ut ſcribit *Adam Brem. lib. I. cap. 42.* Hogerus quidem, ut idem teſtatur, ſeveriſſimus fuit in diſciplina eccleſiaſtica, & monaſteria ſuæ diœceſis crebro circumivit, ſed remotas Daniæ ac Sueciæ regiones non ingreſſus eſt, neq; in illas venit Reinwardus, qui non niſi paucis menſibus Eccleſiæ Bremenſi præfuit a. 915. cũ Ungari Baſilicam S. Petro conſecratam incenderent, & S. Viti, ſeu Beatæ Virgin. Eccleſiam, (uti poſtea mutato nomine dicta eſt,) conſtrui fecerat Anſcharius, comburerent. At Vnno intermiſſam diu legationem iterum ſucepit, cum Henricus Auceps Vngarorum refrenaſſet audaciam, & Daniæ Regem Gormonem in Chriſtianos crudeliter ſævientem prælio viciſſet. Nam Haroldum Regis Daniæ filium ſubdidit imperio Chriſti, plurimos etiam ad paganiſmum in Suecia relapſos, ad cultum veri Dei reduxit. Ipſe tandem, cum omnia ex voto ſucceſſiſſent, apud Bircam mortuus eſt. Adaldagus

primus

primus ad Episcopale munus administrandum aliquantulum segnior inventus est, quod ob singularem prudentiam consiliis Imperatorum semper interesse deberet, unde etiam seposita Ecclesiæ, quam alii adminiculabantur cura, diutius, quam officii ratio exigebat, in Italia cum Imperatore Othone Magno manendum ei fuerat, cæteroquin magna ejus nihilo minus fuere merita. Finito enim bello, quod Otto Magnus cum Danorum Rege Haroldo gesserat, Adaldagus ad eum profectus est, regem ipsum, ejusque uxorem Gunildem & filium Suenonem baptizavit &, *ut Adamus* testatur, *omnium primus ordinavit in Daniam Episcopos, Haroldum ad Sliaswich, Liafdagum ad Ripam, Reinbrandum ad Arhusam.*.

§. 10. Libentius præclare meritorum Bremensium Archi-Præsulum sequutus est exemplum, Clericis observantiam disciplinæ Ecclesiasticæ imposuit, parochiæ suæ singularem habuit curam, & legationem ad gentes diligentissime obivit Hanc quidem non ipse suscepit Unwannus, studiosissime tamen curavit, ne vinea Christi in remotis his regnis detrimentum caperet, nam præter egregios Viros Popponem, Esiconem, Odincarum Juniorem, Folequardum & Reimbertum, quos Libentius in diœcesibus Sleswicensi, Ripensi & Slavonica jam constituerat Episcopos, in Sueciam etiam misit Unwannus Turgotum quendam, qui *duos Nobiles Gotho-*

rum populos Christo suo lucratus est labore, prout notavit *Adamus lib. 2. c. 41.* qui capite 46. addit hos, exceptis Esicone & Odincaro in æde D. Petri sepultos fuisse, unde conjicerem illos forte ejusdem Ecclesiæ fuisse Canonicos. Libentius alter prioris nepos impigre legationes adiit, & in Daniam & Sueciam diversos allegavit. Hermanus quidem Ecclesiæ exiguam gessit curam, Alebrandus autem multum iterum studii ad eam bene gubernandam adhibuit, nam *pro Legatione sibi ad gentes credita, more prædecessorum suorum sollicitus, coadjutores prædicationis suæ ordinavit Episcopos Rodolphum ex Capellanis suis in Sliaswig, Abellinum in Slavoniam, Walo è Bremensi choro in Ripam. Ibid.* 2:54.

§. 11. Ex his omnibus liquebit, quanta cum cura, pietate & fide Venerandi hi Præsules assignato huic divino muneri præfuerint. Plane aberant, ab illo vivendi modo, quem nonnulli abjectioris plerumque animi homines hodiernis temporibus sequuntur, qui falso existumant, quod sola meditatione & ut loqui amant, contemplatione pietatis officia absolvi possint. Imo illi suo exemplo docuerunt monasticam sanctitatem, non semper angustis Monasteriorum cancellis concluſam esse debere. Unicus Sanctus Willehadus, Magnum illud Caucorum luminare, non nisi semel doctrinæ suæ lucem abstrusit; Sed impediebat eo tempore, insignis illa

illa rerum mutatio in Saxonia, quam ſupra digito attigimus, ulteriorem proceſſum Evangelii. Ideoque optimus Præſul per biennium in Gallia divinis meditationibus diurno & nocturno tempore incubuit. Tunc Sancti Viri virtus & intrepida animi magnitudo, quam ſummo in diſcrimine vitæ ſæpius explicaverat, iterum inter malleum & incudem fuit, ut vita ejus duris caſibus exercita, ſpectata magis ac probata eluceret.

§. 12. Ex his, quæ dicta ſunt, patere exiſtimo, fervorem primorum Epiſcoporum, quem in propaganda ac producenda fide adhibuerunt. Jam vero Clericorum immoderata vivendi licentia, ipſaque Adalberti ambitio, qui primus omnium Archiepiſcoporum de limitibus latius extendendis ſollicitus fuit, metas mihi ponit. Maximum inde non Eccleſiæ ſolum, ſed univerſæ Civitati enatum eſſe damnum, ejus temporis hiſtoriæ luculenter edocent. Nam ſicuti, quando pectus humanum inſolito modo vehementioribus anguſtiis affligitur, omnes corporis ſpiritus præſto advolant, ut ei vel priſtinum vigorem reſtituant, vel una cum eo ſuccumbant, ita & incolæ Vrbis in magnis calamitatibus ex hoc malo pullulatis propter Religionis ſtudium Epiſcopis paratam ſemper opem & auxilium tulerunt, eandemque ob conſpirationem duriſſimos belli caſus toleraverunt. Sed hæc prætereo ne terminos propoſitos excedam.

§. 13. Reſtat, ut dicam de *doctrina* Primorum Epiſcoporum, quæ non fuit mediocris. Florebant enim ſub Carolo M. ſtudia optimarum literarum in Francia magis quam Germania. Ludovicus autem ex veteri Corbeja Franciæ multos ſelegit viros religioſiſſimos vitæ ac ſcientiæ merito clariſſimos, eosque ad Viſurgim in Illuſtrem hujus nominis Abbatiam ſub auſpiciis Ejus conditam ipſe traduxit Imperator. Inter eos fuerunt Anscharius & Reimbertus Viri & in divinis ſcripturis & in ſecularibus literis clariſſimi. Hi cum reliquis ejusdem familiæ fratribus ſeminarium quoddam bonarum artium ibidem conſtituerunt, ex quo uberrimi ſapientiæ & doctrinæ fructus diu collecti ſunt. Ex hac ſchola veluti ex promptuario poſtea Adalgarius, Hogerus & Vnno, Viri in magna exiſtimatione propter ſingularem eruditionem habiti, producti ſunt. Non mirum itaque eſt, ſi una cum his Antiſtitibus ingenuarum artium & literarum ſtudium Bremam pervenerit, & felicibus his auſpiciis Schola Bremenſis propter Magiſtrorum celebritatem, Doctorum copiam & auditorum frequentiam illuſtrior facta ſit. Hæc, quia jucunda & memoratu digna ſunt, intacta haud relinquemus.

§. 14. Equidem plurima habemus teſtimonia primos Pontifices Bremenſes non tantum pietate, uti diximus, ſed & eruditione fuiſſe conſpicuos. Primus, S. Willehadus commen-

mentationes in D. Pauli epiſtolas conſcripſit; quo Magni hujus Gentiũ Doctoris ſcriptis, quæ hoc tempore ſæpius in Monaſteriis legebantur, dura Saxonum corda facilius flecterentur. Sed & alia cauſa forte S. Virum ad hoc opus ſcribendum permovit. Nam Carolus M. animadvertebat, puram illam & ſimplicem religionem, quam plurimis Pontificiis erroribus & traditionibus ipſo conſentiente Bonifacio (uti ex Wilibaldo vitæ ejus Scriptore patet) inquinatam eſſe. Itaque ſerio cogitavit, de ea emendanda & poſtliminio reſtituenda, & hinc vana commenta abrogavit, imaginum venerationem damnavit, & ad normam doctrinæ Divi Auguſtini multa reduxit. Præcipue id egit, ut Epiſcopos ad regulam a D. Paulo præſcriptam revocaret, ſicuti Capitularia, ut vocant, Imp. docent, & ſic optimus Præſul forte hoc ſcripto antiquam Chriſtianæ doctrinæ diſciplinam ſtabilire voluit. Proximus a Willehado fuit Willeharius *Vir clarus & literatus*, ſecundum *Wolterum*, & ſub eo ponimus initium Scholæ Bremenſis, quæ quidem absque omni dubio ſuam originem a prima fundatione Eccleſiæ repetit. Willehadus autem in illo biennio, quo Epiſcopale munus geſſit, in ædificanda eccleſia occupatus fuit. Hic enim Willeharius Clerum maximum collegit juxta *Adam. Brem. lib.* 1. c. 19. eorum officium optime explicavit *Joachimus Hildebrandus* in *diſſert. de Religioſis &c. p.* 33. *In*

bis Canonicorum Capitulis ſtudia literarum olim tra-ctabant, idque adhuc referunt nomina Decanorum, Præpoſitorum, Scholaſticorum, Cantorum &c. Vna igitur cum his dixerim literarum ſedem atque domicilium Bremæ conditum fuiſſe, ubi humanioribus literis ingenia & ſtudia Juvenum formabantur. Hoc ſane firmiſſimum fundamentum fuit religionis absque quo cultus divinus non diu duraviſſet, quod cum non ignoraret Senatus Vrbis Bremenſis fortiſſimum religioni præſidium, non tam armis, quibus tamen feliciter vis hoſtium repreſſa eſt, quam literis ante duo ſæcula quæſivit.

§. 15. Ad ANSCHARIUM venio, *Sanctiſſimum illum Patrem ac Philoſophum Chriſti, vitæ atque ſcientiæ merito clarum* juxta Adam. Brem. De ejus ſingulari doctrina multa habemus teſtimonia, nam Veteri Scholæ Corbejenſi in Gallia ad S. Petrum, una cum Wichmaro præfuit, & ſingularem ibi curam Magiſterii ſui geſſit, deinde iterum in nova Corbeja officio functus eſt docendi, & ibi Primus Magiſter Scholæ & Doctor Populi factus eſt. *Vide vitam Anſcharii* a Remberto conſcriptam. In Epiſcopali dignitate conſtitutus Canonicis ſuis ipſe fuit Doctor, ita ſcribit *Adam. Brem. l: 31. Interea beatus Anſcharius captivos redimendo, tribulatos refovendo, domeſticos erudiendo, barbaros Evangelizando, foris Apoſtolus, intus Monachus, nunquam legitur otioſus.* Confecit etiam inſignem librum de vita & rebus geſtis primi Bremen-

mensium Episcopi, utidem auctor annotavit *lib. 1. cap. 7.* De REIMBERTO hoc habet Wolterus; *Quod tam in divinis, quam humanis scientiis claruerit*, & si vera sunt, quæ scribit Paulinus in Theatro Illustrium Virorum Corbejæ, factus est ab Anschario Scholæ claustralis Turholtianæ Rector, cui summa cum industria præfuit, postea Corbejæ Magister scholæ constitutus est. Literis etiam consignavit librum de vita S. Anscharii, quem novissime edidit Petrus Lambecius. Adalgarius postea iterum Remberti vitam conscripsit, uti notavit *Wolterus apud Meibom. Tom. II. p. 26.* Eandem illam esse existimo, quam Coloniæ Anno 1642. posteaquam ad Pontificios secessisset, una cum aliis edi curavit Philippus *Cæsar* SS. Theologiæ Doctor, Canonicus & Verbi Divini Minister in Æde S. Anscharii, & D. Martini, in Bremensi ecclesia. Aliam autem putarem eam fuisse, quam Monachi Corbejenses scriptis mandaverunt, de qua ita apud *Adamum, lib. 1. cap. 32.* legitur: *Vita ejus a fratribus ejusdem cœnobii ad nostros data, quis fuerit & qualiter vixerit, breviter & dilucide comprehendit.*

§. 16. Post Adalgarium vixerunt Hogerus, Reinwardus & Vnno. De Reinwardi quidem vita non adeo multa historiæ monumenta tradiderunt, at Hogerum & Vnnonem ex celebri Corbejensi Asceterio desumptos & ad cathedram ecclesiasticam promotos

fuisse narrant, eosque ideo dixerim non vulgariter eruditos fuisse, eo magis cum tradat Trithemius in Chronic. Hirsaug: ad A. 909. Sigebertum Monachum Corbejensem rerum ab Vnnone præclare gestarum seriem composuisse. Adaldagus qui eos secutus est, tanta religionis & literarum cognitione polluit, ut cum eo Reges ipsi, summique Imperatores in arduis regni negotiis consilia conferre non dubitaverint, ita *Adam Brem. 2: 14. His tribus æque fortissimis ac justissimis Imperatoribus*, (scilicet Othonibus) *tam charus & familiaris erat Præsul Adaldagus, pro virtutum merito & doctrinæ Magisterio, ut a latere eorum vix aut raro divelleretur, sicut præcepta Imperatorum ad nutum Archi-Episcopi dispositæ ostendunt.* Libentium *Virum Literatissimum* Adamus, *Excellentis scripturæ Doctorem ac Professorem Sacræ Theologiæ* Wolterus vocat. Vnwannum etiam, item alterum Libentium, ac Beselinum cognomine Alebrandum in divinis æque ac secularibus literis egregie doctos fuisse, ex pluribus annalium scriptoribus sufficienter constat, quorum testimonia brevitatis causa omitto.

§. 17. Cum autem ex libris omnis hauriatur eruditio, firmiter persuasum mihi habeo, Episcopos, si non ornatissimum, certe vtilissimum eorum conquisivisse apparatum. Idque eo magis simile vero videtur, quia Rembertus in vita Anscharii cap. 34. testatur; deleta & eversa a Normannis Hamburgo, etiam

Bi-

Bibliothecam, quam Ludovicus Pius Anschario dono dederat, una cum plurimis aliis libris conflagrasse. Bibliotheca enim illa procul dubio augmentum nacta est ab Anschario, qui tanquam summus literarum Patronus, eos undique maxima cum cura collegit, adeoque in hoc egregio Viro, qui in promovenda doctrina nunquam ignavus, aut somniculosus repertus est, Bibliothecæ Bremensis initia non male poni possent. Ex supra dictis jam apparet statim ab initio Genealogos fuisse, & Episcoporum & Ecclesiæ Bremensis historiam conscriptam esse, quod alibi, ut in Corbejensi Monasterio demum anno 1097. ex jussu Abbatis Marquardi fieri consuevit. Porro etiam ex diversis locis, quæ mox citabimus, constabit, quod authentica instrumenta in suis tabulariis non solum studiose conservaverint, sed etiam ab iis exempla describi curaverint. Eandem diligentiam in describendis antiquis codicibus præstabant, & sane hæc non satis prædicanda Monachorum diligentia effecit, ut multa egregia Veterum scripta ab interitu vindicarentur, quæ alias dudum deperdita essent. Vtinam modo illis temporibus multi optimi libri non tam funesto fato cum gravi & molesto rei literariæ damno periissent. Colluvies illa & excrementum maritimorum populorum, qui Danorum nomine vulgo veniunt, sæpius actuaria conscendebat & crebris non tam bellis, quam latrociniis nec opinan-

tes adoriebatur cives, ipsis etiam Ecclesiæ thesauris sceleratas injiciebat manus, & omnia diripiebat ac dissipabat. Deinde penultimo Alebrandi anno maximum detrimentum bibliotheca experta est, in illo tristi incendio, quod una cum Ecclesia totam urbem ita consumpsit, ut nullum veteris habitaculi remanserit vestigium. *Adam. lib. 2. c. 61.*

§. 18. Haud abs re fuerit brevem subtexere seriem opusculorum Ecclesiæ Bremensis quorum sparsim mentio fit apud Adamum. Tales sunt libelli vitam Episcoporum Willehadi, Willeharii, Anscharii & Remberti continentes, item Liber donationum sive traditionum Ecclesiæ *lib. 1. cap. 19. 20. & 24.* Epistolæ S. Anscharii de sua legatione. *lib. 1. c. 31.* Epistolæ Remberti, inter quas est *præcipua quædam ad Virgines, in qua virginitatem corporis extollens multas mente fieri meretrices, asserit*, item ejus Excerpta ex S. Gregorio scripta *lib. 1. c. 38.* Antiqui Ecclesiæ libri. *lib. 1, c. 43.* Acta inter Colonienses & Bremenses Archi-Episcopos de ventilata sæpius apud Imperatores ac Pontifices, ut & in Conciliis, quæstione, num Episcopatus Bremensis Colonienſi esset suffraganeus lib. 2. cap. 3. Hæc scripta è flammis petita ab incendio intacta remanserant, postea Bibliotheca ex liberalitate Imperatoris Henrici IV. iterum instaurata est. Inter libros, quos donavit maxime conspicuum fuit Psalterium aureis scriptum literis, ut testatur Adamus

mus in ejus vita. Ceterum illam vario librorum genere eo tempore cum hic Magiſter ſcholam regeret, inſtructam fuiſſe, paſſim ex ejus hiſtoria liquet.

§. 19. Ex his, quæ modo commemoravi, primordia bonarum literarum in his locis perſpicua ſunt, nunc uberrimum, quod inde ſecutum eſt, incrementum oſtendam. Scholam ab initio fuiſſe ſupra dixi; ejus curam Epiſcopi Canonicis, Viris integritate morum & ſapientia mentis præcellentibus, quorum complures é peregrinis etiam regionibus ad ſe attraxerant, demandaverunt. In his exemplo vitæ ſingulari æmulandi ardorem accendebant, eoque efficiebant, ne, quem ipſi in promovendis literarum ſtudiis operam impenderant, negligentia ſuorum hypodidaſcalorum inanis redderetur. Præterea ſub certis ſeverioribus diſciplinæ legibus, tam moribus exaſciandis, quam ſcientiæ promovendæ congruis illos ad communiter vivendum cogebant. Hæc quam diu in obſervantia apud eos manſerunt præcepta, tam diu etiam efflorescebant ſtudia, Schola Bremenſis increbreſcebat, neque ulli fama & ſplendore cedebat. Confluxerunt tum ad eam ex aliis vicis & urbibus plurimi homines, ut copioſum ſapientiæ & doctrinæ fructum in illa colligerent & ſacrarum literarum cognitionem addiſcerent. Eapropter ipſa Civitas Bremenſis ut ſcribit *Adam. in vita Adalberti lib. 4. cap. 42.* inſtar Romæ di-

divulgata ab omnibus terrarum partibus petebatur maxime a Septentrionalibus populis, inter quos extremi venerant Legati Gronlandici, Gothorumque & Orchadum Legati, petentes ut illuc prædicatores dirigeret, quod & statim fecit.

§. 20. Et sane complures idem diligentissimus Historiæ Bremensis scriptor enumeravit Viros docendi virtute clarissimos, qui gentes Evangelium Christi docuerunt, & in veritate religionis confirmaverunt, ut Albericum Acilinum, Bennonem, Christianum, Eilbertum, Egmonem, Tolequardum, Harichum, Heribertum, Ilephum, Johannem Monachum, Liafdagum, Magnum (id est Seniorem) Odincarum, Oddonem, Popponem, Ratolfum, Reginbertum, Simonem, Sewardum, Tadicum, Thurgotum, Turolfum, Volequardum, Wilhelmum & alios, quorum quam plurimi sine dubio in Illustri Schola Bremensi piam eruditionem hauserunt. Cum autem nihil certi ea de re compertum habeamus, alios præclari nominis viros proferam, qui ex hoc Musarum domicilio prodierunt.

§. 21. Leidradus Bremensis Chori Præpositus primum merito occupat locum, hunc unanimia Cleri & populi suffragia efflagitaverant ArchiEpiscopum, eamque dignitatem consequutus esset, si faventem sibi habuisset Imperatorem Conradum. *Crantz. in Metrop. lib. 3. cap. 5.* hanc istius malevolentiæ reddit ra-

rationem. *Potissimam ejus ad hominem causam hanc accipimus, quod Rex contempserit populi & Cleri electionem sine suo nutu factam, & ideo electum præteriit & alium suffecit.* Circa Annum 961. *Eilhardus Bremæ claruit, Vir spontanea paupertate clarus, Ecclesiæ Præpositus & Regulæ Canonicæ Custos. Tunc & scholas Ecclesiæ florentissimo' studio rexit Tiadbelmus, qui fuerat Magni Octrici Magdeburgensis discipulus. Albert. Stadens. ad h. a.* Odincarus Junior, qui Adaldagus dictus est, floruit sub Libentio & ab hoc Præsule Ecclesiæ Ripensis Episcopus constitutus est. Odincaro mortuo ei successit alius de choro Bremensi, Canonicus, nomine Walo. Sub Adalberto floruerunt Hatolfus itidem Canonicus Sleswicensis postea consecratus Episcopus. *Adam. Brem. de Situ Daniæ.* cum quo conjungenda subscriptio diplomatis apud *Lindenbr. p. m. 159.* Item Adelwardus, Senior Decanus Bremensis, qui Episcopus in Suecia constitutus est, cujus singularia merita plus semel extollit idem Auctor *lib. 3. c. 15. & in libro de Situ Daniæ.* Vt & Adelwardus Junior itidem Episcopus vir literis & morum probitate conspicuus. Nec non Abbas Hiltinus, alias Johannes dictus, qui primus Bircæ Episcopus fuit, ut ex eodem libro de Situ Daniæ apparet.

§. 22. Maximam etiam nominis celebritatem adeptus est, egregius ille rerum Bremensium sæpius a nobis citatus scriptor, *Adamus*, cui

cui postea cognomen datum est *Bremensis*. Is anno Adalberti vigesimo quarto qui erat a nato Christo 1067. in Canonicorum collegium receptus est, fuit Matricularius Ecclesiæ, & Scholarum Magister, prout patet ex diplomate apud *Lindenbrogium p. m. 165.* cui tanquam testis subscripsit; Cæteroquin Vir doctus, qui multa scriptorum volumina perlustravit. Absque eo antiqua Ecclesiastica historia Hamburgensis & Bremensis Ecclesiæ plane incognita fuisset, & idcirco magnam apud Veteres & recentiores nactus est auctoritatem, quæ, etsi apud me plurimum valeat, tamen magis adhuc valeret, si non in præfatione historiæ suæ hæc adjecisset. *Nobis propositum est non omnibus placere, sed Tibi, Pater, & Ecclesiæ Tuæ.* Plura alias.

IV.

Joh. BUXTORFII,

S. Linguæ in Academia Basileensi Professoris,

DE

Alcorani editione Arabica variisque ejusdem versionibus dissertatiuncula.

POSTQVAM non semel animadvertissem, diversas admodum esse eruditorum sententias de editionibus & variis Alcorani versionibus, diversa pariter eorundem de versionibus judicia, quin imo falsa nonnulla pro veris, certa pro incertis accepta & credita fuisse, visum est in hoc Argumentum, quoad licuit, inquirere & de eo hac dissertatione breviter duntaxat agere. Ac principio quidem, quod Arabicam Alcorani editionem spectat, non pauci Philologorum in eo hallucinati sunt, quod existimaverint Alcoranum Arabicum ante editionem Hinckelmanni nunquam plane typis excusum fuisse. Ita celeberrimus Philologus Pfeiferus in dissertationibus philologicis, quas Anno 1665. publicæ luci dedit, scribere neutiquam dubitavit, *Alcoranum typis nunquam expres-*

preſſum eſſe, ſed a Librariis Turcarum, qui typographias abominantur, deſcribi. Verum Alcoranum (a) Arabicum diu ante Hinckelmannum excuſum fuiſſe, ſeculo ſcilicet decimo ſexto Venetiis circa annum 1530. opera Paganini Brixienſis, liquet ex Ambroſii Theſei Introductione in varias Linguas Orientales, quæ prodiit Papiæ Anno 1539. nec non ex epiſtola quadam Italica Guilelmi Poſtelli operi Theſei inſerta, in qua Poſtellus Ambroſium rogat, diligenter inquirat, velletne is, qui Alcoranum Arabice ediderat, typos ſuos aut matrices ſibi divendere, utpote quibus ſummopere ad edendam Grammaticam ſuam Arabicam indigeat. Idem præterea liquet ex Thomæ Erpenii Catalogo librorum Arabice excuſorum addito ejusdem Rudimentis Linguæ Arabicæ Lugduni Batavorum Anno 1620. editis, quippe in quo diſerta hæc ejus verba extant: *Alcoranum Arabicum circa annum* 1530. *Literis Arabicis Venetiis excuſum fuiſſe.* Quod te-

(a) Conferri poteſt cum his Cl. Theologi Altdorffenſis *Joh. Mich. Langii* de *Alcorani prima inter Europæos editione Arabica*, diſſertatio edita, 1703. 4. Ut mirer Cl. Philologum Witebergenſem Joh. Chriſt. *Wichmanshauſenium* adhuc a. 1708. in poſitionibus ſuis de *Alcorano* ſcripſiſſe primum omnium Abrahamum *Hinckelmannum* Arabicam ejus editionem curaſſe. Extat & altera Cl. *Langii*, de variis *Alcorani* verſionibus diſſertatio, uti & de illis agitur in hiſtoria Alcorani, quam verſioni ejus Maraccianæ ſuperiori anno ſeorſum editæ Lipſiæ in 8. præmiſit Vir Cl. Chriſtian us *Reineccius*. T. d. H.

teſtimonium a tanto in hac litteratura Heroe profectum, atque ſolido haud dubie fundamento innixum maximi merito faciendum. Neque eſt, quod quis dicat, neminem hucusque fuiſſe, qui vel unicum exemplar hujus editionis Venetæ Alcorani Arabici conſpexerit, proindeque vix credibile eſſe, illam unquam extitiſſe. Tenendum enim eſt, exemplaria omnia ad unum juſſu Romani Pontificis deleta & igne exuſta fuiſſe, ad quod Pontificis factum colorandum aliqui ἀτόπως allegarunt, quod narratur Actor. XIX. 19. *multos ex iis, qui curioſas artes exercuerant, comportatos libros exuſſiſſe coram omnibus.* Temporibus inſecutis non pauci quidem extiterunt, qui Alcoranum Arabicum edere in animo habebant, veluti Poſtellus, Clenardus, Kirſtenius, Bibliander, Erpenius, Golius, Niſſelius, Guadagnolus, Dominicus Germanus de Sileſia, aliique, ſed varia ipſis obſtiterunt, quominus, quod intenderant animo, effectui darent. Quanquam enim ex Philologis hiſce modo nominatis nonnulli quasdam Alcorani particulas ſive Suratas cum verſionibus ſubinde evulgarint, nihilominus integrum Alcorani Arabici volumen a nullo illorum editum fuerat. Anno demum 1694. *Abrahamus* HINKELMANNUS, Theologus & Philologus Hamburgenſis, primus hoc præſtitit, & integrum Alcoranum Arabicum typis excuſum luci dedit, in cujus laborioſi operis Societa-

tem asciverat Sebastianum Godofredum *Starckium*, cujus in Præfatione laudatissimam fecit mentionem. *Unus supereſt*, (inquit) *quem ingratus præterierim, quod ejus auxilio ita usus sim, ut sine ipso fuisset, succumbere me oneri potuisse fatear. Sebastianus is est Godofredus Starckius, civis noster, homo erectæ indolis, & omnis elegantioris literaturæ supra ætatem peritus, a nobis vere benigno fato in societatem operæ allectus.* Nunc porro de variis Alcorani versionibus agamus & ante omnia quidem de Latinis. Equidem diu ante editionem Arabicam Alcorani opera Paganini Brixiensis factam versio Latina adornata fuerat temporibus S. Bernhardi Anno 1143. jussu Petri Abbatis Cluniacensis in Hispania per Robertum Retinensem, vel, (ut recentioribus quibusdam placet) Ketenensem & Hermannum Dalmatam, quam ipsam versionem Latinam deinceps post inventam artem typographicam Theodorus *Bibliander* typis excudi curaverat, primum quidem anno 1543. altera vero vice Anno 1550. de hac veteri Versione Latina quid senserit Josephus SCALIGER, liquet ex ejus epistola 362. ad Stephanum Ubertum: *Deum immortalem* (inquit) *quam inepta est vulgaris illa, quam habemus, interpretatio. Nemo ex ea translatione speret se Alcoranum intelligere.* De eadem Erpenius ad suratam Joseph. *non immerito a Viris eruditis culpari, tanquam parum accuratam, & extra manifestas Historias veram Arabismi sententiam satis raro fideliter*

liter exprimentem. Nec dissentit Vir undiquaque doctissimus & harum literarum callentissimus D. Ludovicus FREY, singulare Academiæ nostræ decus, cujus verba ex præfatione elegantissimæ Dissertationis de sententia Mohammedis de Jesu Christo subjiciam: *Notum est, quot innumeris mendis scateat Retinensis translatio, quam barbara, obscura & ambigua sit, quam denique confusus ordo Suratarum, quotque alia vitia illam commaculent: ut optandum esset, parcius illam a Christianis contra Mohammedanos usurpatam, nec sæpe ex ambigua phrasi aut interpretis errore dogma illis imputatum fuisse, a quo alieni sunt.* Celeberrimus *Huetius* in libro de claris Interpretibus alius cujusdam versionis Latinæ Alcorani satis vetustæ meminit a Johanne Segobiensi, Cardinali, cum notis editæ, quam tamen periisse conjicit, addens in suos nunquam oculos incurrisse. Christophorus *Wagenseilius*, magni nominis Philologus, in additamentis præfationis ad Tela ignea Satanæ, mentionem fecit versionis latinæ a J. Alberto Widmestadio confectæ. Audiamus ipsius verba: *Adornavit quoque Alcorani versionem latinam Johannes Albertus Widmestadius, pollicitusque est Johanni Ottoni Bibliopolæ Norimbergensi se illam ei propediem ad edendum missuram. Sic ipse testatur in literis præfixis Alcorani Epitomæ, quam ab Hermanno Nellingaunense ex Arabico Latinam factam, Byzantioque acceptam A. 1543. publicavit ac Ludovico Pala-*

tino inſcripſit. Idem Wagenſeilius in Præfatione modo citata, nec non Pfeifferus in Diſſertationibus ſupra citatis meminerunt verbulo duntaxat verſionis cujusdam Latinæ (quam vocant) *novæ*, ſed nemo, quod ſciam, quicquam retulit de auctore, loco, vel anno editionis, quamobrem, cum valde dubia ſit, miſſa illa, pergimus ad Latinam omnium recentiſſimam, & qua de indubia atque certiſſima afferri poſſunt. Eſt illa *Ludovici MARRACCII*, qui Innocentio undecimo P. R. olim fuit à confeſſionibus ſacris. Hanc verſionem latinam edidit Patavii Anno 1698. una cum Textu Arabico & notis, quod ſequens libri Titulus palàm facit: *Alcorani textus univerſus ex correctioribus Arabum exemplaribus deſcriptus ac ex Arabico Idiomate in Latinum translatus appoſitis unicuique capiti notis atque refutatione.* Multùm quidem, ni fallor, ſe probavit viris eruditis Marraccii verſio latina, nihilominus argutiores oculi nævos in ea deprehenderunt. *Andreas Acoluthus*, LL. OO. Profeſſor Uratislavienſis in ſpecimine ſuo Alcoranico quadrilingui de hac verſione ſequentia prodidit: *quod citra omnem laudis, quam ille doctiſſimus vir meretur, imminutionem dictum ſit, reperi ibidem nonnulla, quibus aſſenſum præbere nullatenus potui. Summa animum ſubibat admiratio eademque dolori permixta virum, qui per triginta annos Arabicis ſtudiis incubuiſſet, non majorem in verſione cautelam adhibuiſſe.* -- Nec defuere

fuêre alii viri docti, qui opere hoc perluſtrato teſtati ſunt ſe plura longè exſpectaſſe. Quamobrem doctiſſimus Acoluthus (è cujus binis nominibus hoc modo ſcriptis *Andreas Acoluth* nonnemo hoc Anagramma exſculpſit, *Tu edas Alcoran*) verſionem latinam accuratiorem edere in animo habuit, niſi fatalis hora illum corripuiſſet, priusquam, quod moliebatur, perficere poterat. (b) Cæterum prorſus exiſtimo, neminem hodie Chriſtianorum vivere ad adornandam Alcorani verſionem latinam accuratiſſimam ex Arabico magis idoneum quàm celeberrimum Freyium noſtrum. Præterquam enim quòd egregia jam antehac ſpecimina viris doctis mirum in modum approbata dederit in Diatriba ante citata, quæ ſententiam Mohammedis de Jeſu Chriſto expendit, doctiſſimus ille Syrus, qui, dum Baſileæ agebat, Jacobus ARTHEMIUS, alibi verò Carolus DADICHI vocari volebat, cuique vernacula erat Arabica Lingua, ſummam ejus in Arabicis peritiam miris laudibus prædicavit. Utrum vero à viro

(b) Multam & egregiam accuratæ translationis alcorani ſpem nobis fecerat Henricus *Sikius*, popularis meus, Linguarum Orientalium in Academia Cantabrigienſi Profeſſor, quo nemo unquam Chriſtianorum linguæ *Arabicæ*, quam proprio Marte ſine præceptore didicerat, fuit callentior, quod teſtimonium ex ore Cl. Relandi me hauſiſſe memini. Sed idem, qui eheu! gulam ejus fregit laqueus, hanc quoque ſpem fuſtulit. T. d. H.

ſummo literato orbi Alcorani Latina verſio ſperanda ſit, nec ne, addubito nonnihil, eo quod bonas horas haud paulo melius & utilius collocari optime norit. Nam quod magni nominis Theologus Johannes Hoornbeekius haud abs re monet in Summa Controvers. lib. 3. *Verus & ſalutaris notitiæ linguarum, cum aliarum, tum Arabicæ fructus eſt, non ad oſtentationem illas circumferre, vel in vertendis aut exponendis ſcriptis ſecularibus hærere, ſed homines illarum adminiculo in vera Chriſti fide & pietate inſtruere, infideles convertere, promovendo Regno Chriſti illas conſecrare & inſumere. Hæc demum ſunt Chriſtiani hominis & linguis eruditi ſtudia.* — Nunc porro pergimus ad alias Alcorani verſiones. Verſio Gallica ex Arabico confecta prodiit Authore Andrea du RYER, Regis Galliarum quondam Agente Alexandrino, quæ ab eruditis magni facta eſt, quippe ab eo profecta, qui non modo Textum Arabicum, ſed etiam inſigniores Alcorani interpretes conſulere poterat. Nonnullos tamen offendit nimia ejus in vertendo licentia, & quod aliquando plus linguæ ſuæ elegantiæ quam genuinæ textus verſioni intentus fuerit. Unde & perſpicaciſſimus Freyius noſter in præfatione diſſertationis de Mohammede: *longe huic* (Retinenſis ſcilicet translationi) *præferenda quidem eſt verſio Gallica du Ryer, ſed præterquam quod nullis verſiculis interſtincta ſit, æquo majorem ſibi libertatem tribuit interpres, nimium elegan-*

elegantiæ linguæ suæ studiosus, dum pro lubitu sæpe addit, demit, transponit, integrasque periodos ex commentariis inserit. Andreas *Arrivabene*, Venetiis Anno 1547. edidit versionem Alcorani Italicam, factam, si ipsum audimus, ex Arabico. Verum aliter longe judicavit de hac versione doctissimus SELDENUS in opere de successionibus in bona defuncti ad leges Hebræorum cap. 1. *Mirum est* (inquit) *ab Andrea Arrivabenio obtendi versionem Italam ex Arabico esse desumtam, cum manifestissima occurrant in ea passim argumenta, non modo Roberti Retinensis, Angli, latinam impostorem fuisse secutum, verum etiam & ipsos sive typographi in latina errores, utpote ex Arabici Codicis ope minime deprehensos, retinuisse.* Extant porro etiam versiones Germanicæ Alcorani. Primam multis equidem eruditorum ignotam inviſamque ex Italica Arrivabenii versione adornavit & edidit Norimbergæ A. 1616. Salomon *Schweiggerus*, Ecclesiastes Norimbergensis, quæ, quo loco sit habenda, inde liquet, quod ex Italica versione illam adornaverit. Secunda versio Germanica ex Gallica Ryerii confecta fuit à Johanne *Langio*, Medicinæ Candidato, qua de plura equidem non novi. Tertia uti recentissima est, ita præstantior quoque habetur prima & secunda, eo quod ex latina Marraccii adornata fuerit à Davide *Nerretero*, Ecclesiaste Norimbergensi Anno 1703. Versiones Belgicæ duæ habentur, vetus & nova.

Illa, cujus Author ignoratur, facta fuit ex Germanica Schweiggeri, meminitque illius Hornbeekius in summa Controversiarum Religionis libr. 3. *In Germanicam vertit Salomon Schweiggerus concionator Norimbergensis, eaque transiit in nostrum sermonem Belgicum.* Versionem Belgicam novam ex Gallica Ryerii paravit J. H. Glazemaker prodiitque Roterodami Anno 1698. Ex eadem Gallica Ryeri versione confecta quoque fuit versio Anglica, Londini Anno 1688. excusa. Versionis Arragonicæ Joh. Andreæ Mauri ex Arabico mentionem fecit Cl. Wagenseilius in præfatione ad tela Ignea Satanæ, necnon Hoornbeekius loco citato: *In Arragonicam se transtulisse Alcoranum cum glossis & librum Zunæ scribit Johannes Andreas Maurus ad fidem Christi conversus.* Verbulum addimus de versione Persica, quam extare & ad se ex Mogolorum Regno delatam esse testatur Jacobus Golius in appendice ad Grammaticam Arabicam Erpenii. Vir Cl. Andreas Acoluthus in specimine Alcorani quadrilingui exemplar versionis Persicæ ex Hungaria ad se delatum prodidit. Quapropter fidem non amplius invenit Gabriel Sionita de Urbibus & moribus orientalium asserens, *Alcoranum nulla alia lingua, excepta Arabica, reperiri.* Quæsitum denique fuit, utrum Turcica Alcorani versio extet? equidem constat Turcas Alcoranum in suam linguam non convertere, sed ad ejus in-

intelligentiam linguam Arabicam ſibi reddere familiarem. Unde Erpenius in Oratione de Linguæ Arabicæ præſtantia: *curant plerique* (Mohamedani) *liberos ſuos literis Arabicis imbui, quo non Alcoranum modo, quem legere omnes tenentur, ſed & alia ſcripta tum publica tum privata INTELLIGANT.*-- Nihilominus Cl. Acoluthus, quem aliquoties jam nominavimus, reperiri quoque verſionem Turcicam Alcorani teſtatur in ſpecimine Alcorani quadrilingui, cujus verba proin adducere operæ pretium fuerit. *Hæc verſio* (inquit) *Alcorani Turcica in urbe Galata prope Conſtantinopolin ab illuſtriſſimo Dn. Franciſco à Meſgnien Meninski S S. ſep. Equite Hieroſolymitano Sacr. Cæſar. Majeſtatis Conſiliario ac LL. OO. Interprete primario, Fautore meo, dum viveret, æſtimatiſſimo, multis verborum Lenociniis è manu amiciſſimi ſibi Muhamedani ægerrime librum adeo charum dimittentis, ſoluto magno pretio, ante multos annos extorta eſt, cujus ego ante Sexennium reſtitutis prius Poſſeſſori impenſis in illam erogatis, non infelix factus ſum proprietarius, de hoc mihi ſummopere gratulatus, quod non modo novum ad difficillimam Alcorani interpretationem ſubſidium, ſed & talem librum nactus eſſem, quem omnes in univerſum Philologi hactenus ignorarunt, quin imo inter Muhamedanos extare pernegarunt, tanquam rarum cimelium, quod nullibi amplius in Germania, forte & tota Europa, præterquam in S. Cæſar. Majeſtatis auguſtiſſima Bibliotheca Vindobonenſi reperiretur.*

V.

Jo. Christophori HARENBERGII,

fatalis Josiæ prælii ad Megiddo 2. Reg. XXIII. 29. 30. 2. Par. XXXV. 20-24. expositio.

MAxima olim Asiaticos inter & Aegypti reges exercita fuit dissensio de principatu, imperiorum antiquitate & nobilitate, ipsorumque regnorum finibus vel sociis. Terra sancta a priscis inde temporibus in varias dispertita fuerat res publicas, more quidem tum maxime usitato, quæ ingruente metu ad communem propulsandum hostem conspirare solebant. Succedere mox reguli, qualem & ipsi Judæi a moderatore suo efflagitarunt. Quorum ut quisque potentia & auctoritate antestabat reliquis, ita eosdem sibi subigere tentabat. Deinceps Aegyptiorum variæ dynastiæ, & forte etiam Assyriorum, quorum diversos diversarum regionum regulos confudisse videtur Ctesias Cnidius, in unam coierunt, & post Davidem Salomo ad Eleutherum usque & Thapsacum, Phœnices flumina, quæ in delineatione Palæstinæ ad cardinales

nales mundi plagas sunt תִּפְסַח כֹּרַת, regulos suum subire jugum jussit. Assyrii porro invalescebant & horũ regno postmodo ex parte sibi adjuncto superbiebant Babylonii, æmulantibus tanto fastigio Aegyptiis. Primum quidem mortiferum Judææ inflixerunt vulnus, sublato regno Israelitico Assyrii. In causa erat, si ab iniquitate Deo invisa discesseris, discordia & invidia utriusque Judaici regni, in mutua viscera sævientis & fœderibus peregrinos reges invicem allicientis. Qua re factum est, ut ipsi Judæorum reges Hierosolymis sedentes, Assyriis justo Dei judicio, tributa ferre cogerentur. Erat Aegyptus satis propinqua, Judæos ad fœdus secum faciendum clientelamque Assyriacam excutiendam subinde sollicitans, sed sæpius invalida & intestinis cum malis confligens. Primus est Menahem, qui Nini, seu, ut in sacris vocatur, Phuli gratiam & auxilium emercatus est 2. Reg. XV. 19. Et cum dein Samariæ rex Syrorum regulis ad Hierosolymitanum premendum uteretur, hic Ninum II. sive Deglath Bil Asser (velocissimum dominum Assyriæ) præmiis contra illum vicissim irritavit 2. Reg. XVI. 5. 7. 8. 9. 10. atque in signum clientelæ Assyriorum sacra eorundem Hierosolymis invexit. Regum Syriorum potestate extincta, Israelitarum reges Aegypti regem suo fœdere sibi adstringebant 2. Reg. XVII. 4. qui Sabacus fuisse videtur, Aethiopum rex,

post

post cœcum Anysin Aegypto imperitans per L. annos Herod. L. II. c. 137. Indignatus perfidiam Salmanassser, qui forte est Semiramis, a Samaria capta ita dictus filium mittit Sennacheribum, Samariæ eversorem 2. Reg. XVII. 4-6. XVIII. 34. conf. Hos. X. 14. Jos. A. J. IX. c. ult. Marsham. Can. Chron. ad Saec. XVII. p. 512. ed. Franeq. & Aegypti vastatorem Es. XX. Nahum III. 8. 9. 10. Sabacus Aegypto victori relicta Aethiopiam repetit, nec ipsam a clade immunem. Aegyptii dedecora sua celantes Herodoto retulerunt, regem in somnio perturbatum regno excessisse L. II. c. 139. Herod. Idem fuisse apparet, qui, teste Strabone, τῶν Αἰθιόπων (βασιλεὺς) ἐπελθὼν ἐπὶ τὴν Αἴγυπτον ἀντὶ τοῦ ἀναιρεῖν τοὺς κακούργους ἀποτέμνων τοὺς ῥῖνας ἐνταῦθα κατῴκισεν, ὡς οὐκ ἂν ἔτι τολμήσαντας ἀνελθεῖν διὰ τὴν αἰσχύνην τῆς ὄψεως, *Aethiopum* rex, *Aegyptum invadens*, *non nece*, *sed nasi truncatione maleficos coërcuit*, & *eos ibi* (in Rhicolura) *collocavit*, *quos domum redire pudebat ob oris deformitatem.* Diod. Sic. L. I. c. 60. Actisanem eum vocat remque fuse perstringit. Bac sive Act cognomen fuisse videtur, Sa vero, San sive So verum nomen, quod diviniores quoque indicant litteræ. Res Aegyptiorum collapsas paulo post Sethon restituere laborabat, Vulcani sacerdos', quod fusius docet Herod. L. II. c. 141. Aethiopasque rursum firmavit Tirhac, Zaræus, Thearcon,

con, Joſ. A. J. X. 1. quod ipſum ægre tulit Aſſyriæ Arabiæque rex Sennacheribus, adeo ut Hiskia, qui ab eo deſciverat 2. Reg. XVIII. 7. in tranſitu aliquantum afflicto eique auxiliis Aegyptorum exprobratis v. 21. Aegypti propugnaculum, Peluſium, acriter obſideret. Sed animo ſatis nequiit facere Eſ. X. ad Peluſium nocturno impetu, Thearconis forte, ſubmotus, quod Aegyptii, ne quid gloriæ ab aliis gentibus interciperetur, muribus tribuerunt conf. 2. Reg. XIX. 9. Herod. l. c. Aethiopum enim plures, ritu ferarum & murium, ſpecus ſubibant Herod. III. f. 228. Diod. Sic. L. III. f. 156. Strabo L. XVI. f. 900. unde etiam Troglodytis cognomen eſt. Nec lætior in Palæſtina Sennacheribo fortuna affulſit, nuntio quodam copias ejus mirum in modum diſſipante. At rege hoc obtruncato, Aſſaradinus clavum regni obtinuit 2. Reg. XVII. 24. 29. 2. Chron. XXXIII. 11. Babylonio etiam imperio ſibi juncto, dominationem in Palæſtinam ſatis oſtentans Esdr. IV. 2. Hoc jus clientelare Manaſſes cum fœdere ipſo divino ſusque deque habuit, quare Saosduchinus, Aſſaradini in utroque regno ſucceſſor, quod temporis ratio ſuadet, eum intercipi & Babylonem vel Niniven Babyloniæ in vincula duci juſſit 2. Chron. XXIII. 11. Abulph. f. 43. Quis vero eum citra obſequii in poſterum ſervandi ſacramentum

tum

tum è custodia dimissum esse credet? Quare eo-dē vinculo Ammon & Josias devincti fuisse censendi sunt. So cordia tum Assyrios sensim occupaverat Nahum. III. 18. adeo ut Deioces Medorum regnum sibi vindicaret Herod. L. I. c. 101. & Scythæ, Medis aliquantum graves, Asiam ad Ægyptum usque pervagarentur. Sunt, quibus hæc Scytharum excursio penitus ficta videtur, Reland. Palæst. L. III. p. 992. 93. Sed ita Herodoti, Curtii, Justini, Eusebii, Syncelli aliorumque auctoritas nulla foret, in re quidem non incredibili. Nec desunt in ipsa S. S. hujus rei vestigia. In Persia ipsa Achæmenidæ pedetentim invalescebant. Chyniladanus vero Assyriæ Babyloniæque moderator sopitus veterno esse videbatur. Quocirca nec Ægyptii quiescebant, jam olim Assyriorum æmuli. Psammetichus reliquis tyrannis submotis 54. annos regnans, Azotum Palæstinæ obsidere cœpit L. II. c. 157. Quem filius Necus, Νεκὼς, נכו. secundum Abulpharagium f. 69. a claudicante pede nomen suum sortitus, excepit, sinum Arabicum mari mediterraneo frustra juncturus, paulo autem post fortis bellator Herod. l. c. c. 158. 159. At Josias fœderis cum Assyriaco memor obstacula Ægyptiaco injecit, quem tamen suscipere fas erat, vatibus divinis, Israëliticis puta, ita suadentibus, quibus ut veris Prophetis פי אלהים oracula Dei in promptu erant 2. Chron. XXXV. 22.

Nec

Nec durabat vinculum clientelare, Assyriaco promissa sua de cliente tuendo exsolvere non valente, vecordiæ immersus, sociorum clientumque fiduciariorum incurius. Sed noluit Josias fidem frangere, sacramenti aviti memor. Hanc fuisse causam belli Josiam inter & Necum colligitur 1) ex rationibus politicis & exemplis allatis 2) ex imparibus nimis viribus utriusque, præcipue cum Prophetis Josias dicto non esset audiens. Herod. L. II. c. 159. Καὶ Σύροισι μετῆ ὁ Νεκῶς συμβαλὼν ἐν Μαγδόλῳ ἐνίκησε. Μετὰ δὲ τὴν μάχην, Καδύτιν πόλιν τῆς Συρίας ἐοῦσαν μεγάλην εἶλε, conf. L. III. c. 5. de Cadyte. Non mirandum hic est, Judæos Syros vocari, Herodoto n. L. II. c. 158. Κάσιον ὄρος τὸ ἔστιον Αἰγυπτόν τε καὶ Συρίαν. conf. L. III. c. 5. At quænam illa Megiddo, Herodoto Μάγδωλον, quænam illa est Cadytis? Marshamus ad Sæc. XVIII. p. 569. putat, Μάγδωλον *Herodoti confusum esse cum Megiddo, perque illam hanc intelligere* Magdol. Ex. XIV. 2. Num. XXXIII. 7. *Per Cadytin*, pergit, *Hierosolyma intelligi nequit, eam enim urbem non occupavit Necho, sed prætervectus Carcemishum i. Cercusium ultra Euphratem ad confluentem Aborræ positum.* Hadr. Relandus Palæstinæ L. III. p. 669. *Ego urbem Gath hoc nomine dictam intelligerem, quæ* Καδὶς *aut* Καδυὶς *nuncupata fuerit, si qui sint montes* ὄρεα Καδύτιον *liqueret. Dicitur urbem in colle edito sitam fuisse, sed hoc non sufficit, ut* ὄρεα Καδύτεος *memorentur.* Corn. Diet. Kochin stri-

Su-

cturis Theologicis contra Harduini Opera Theologica Hadad Rimmon esse putat, ob Zach. XII. 11. At ibi de clade Josiæ agi non constat, nec lessus semper ciebantur, ubi quis mortuus erat aut in vicinia 2. Sam. I. 17. 18. sq. Erat in termino Australi etiam Rimmon. Nec discordant sono Καδύτις & Κάδης, Κύδις, Καιδέσι, Κύδοισσα, Κύδοσος, Cadesch quæ erat vel superior Jos. A. I. L. V. c. 1. in Nephtali Jos. XXI. 32. vel inferior, Barne cognominata Jos. XV, 23. montibus satis cincta. Prior huic loco aliena est. Posteriorem momentis rei ipsius satis congruere puto. Fuit n. propugnaculum Judææ adversus Arabiam et austrum. Inde ad mare magnum usque propemodum prætendit Arabia Palæstinam. Hæc ipsa vero, ex mente Herodoti excurrebat secus mare mediterraneum ad montem usque Casium. τήνυσ@ Ain videtur fuisse ob situm, est n. in australibus Judæ urbibus a mari mortuo ordiendo versus mare mediterraneum fere ultima Jos. XV. 21. 32. Τὰ ἐμπόρια ἐπὶ τῆς θαλάσσης Herodoti L. III. c. 5. sunt emporia haud longe a mari remota, licet non contermina aut maritima, ut ἐπὶ βήματ@ aliæque formulæ vim vocis ἐπὶ indicant. Herodoti mens satis cohæret. *Megiddo* omnes habent pro urbe Menassitica, sed extra regionem, tribui illi adsignata Jos. XVII. 11. Jud. I. 27. Per Megiddo intelligo cum Herodoto Μάγδωλον ad ἔκρεγμα lacus Sirbonidis. Magdoh

&

& Magdloh non disconveniunt. Pro Magdala Matth. XV. 39. multi *codices habent* Μαγεδάν. *Et Eusebius in Onomastico ita scribit, notatque suo tempore regionem circa Gerasam* Μαγαιδηνην *appellatam fuisse: sic vicissim Megiddo adscivit litteram L, quum* Μάγδωλ *Herodoto dicitur, quæ Megiddo in sacris tabulis.* Verba sunt Relandi Palæstinæ L. III. p. 883. 84. Suadet hanc sententiam vocula לקראת, quæ occursum ex adversa parte denotat, quod si enim ἐν μεγάλῳ πεδίῳ ad Megiddo Menassiticum prælium contigisset, secutus foret Josias hostem nec occurrisset eidem. Relandus l. c. p. 894. hunc ita amolitur scrupulum: *Ægyptios secutus non est, qui per oram maritimam, uti credibile est, progressi sunt: nolebant enim offendere Josiam 2. Chron. XXXIV. 21. Josias autem per viam mediterraneam, nunc quoque tritam Hierosolymis Sichemum, Samariam atque ita porro: ut in campo Megiddo uterque exercitus sibi occurrerit. Videlicet illud* לקראת *usurpatur frequenter de exercitibus sibi mutuo occurrentibus, uti Gen. XIV. 17. Num. XX. 18. Jos. XI. 20. 1. Sam. IV. 1.* Cetera quæ sequuntur, tam valida non sunt. Verum loci hic citati, si probe expendantur, nihil mihi obstant. Melchisedec Gen. XIV. 17 occurrere studebat Abrahamo a septentrione venienti, ipse aquilonem versus pergens. Reliqua occursum exercituum ex locis oppositis notant, nec sequentes invicem a tergo vel ad latus copias, & pugnæ gratia tantum subsi-

ſtentes. Solebant, imo debuere per rationes politicas, de reditu aperto ſibi proſpicere Ægyptii, quare etiam ſæpe Hieroſolyma ideo etiam vel vi vel ſimulatione capta ſunt. Aut igitur fuiſſet firmum fœdus cum rege Judaico pangendum aut regio ejus occupanda, ne regreſſu in Ægyptum vel ſupplemento novorum militum, ſi opus foret, intercluderetur. Sed de fœdere nil complacitum fuit. Præterea nil nocuiſſet, hoſtem ſicco pede Palæſtinam tranſiliiſſe, quem res male gerentem, gravius affligere vel redeunti integras opponere potuiſſet copias, vel ubique victorem gratulabundus excipere. Erat vis hoſtium igitur a limine regionis arcenda. Unde vero diffitendum eſt, apparatum belli Ægyptiorum Joſiam fefelliſſe? Vicinus vicinum obſervat, præcipue cum Necho, perfoſſione novi canalis omiſſa, ſubito ad bellum appelleret animum copiasque conſcriberet. Verum, Magdoloh ad mare rubrum fuiſſe, objicies, quod traiecerint Iſraëlitæ. Sed *rubrum* illud fuiſſe fateor, vox enim illa olim tam late patebat, ut ſinum Perſicum, Gangeticum, Arabicum, ipſumque mare Perſicum, Arabicum & Tyrium ſignificaret, ut ex Plinio, Curtio, Arriano, & Commentario Jobi Ludolfi ad Hiſt. Æthiop. elucet, & *rubicundum* dicebatur, quicquid zonam torridam conſtituebat vel proſpectabat, adeo ut omnis Africa rubicunda audiat. Præterea lacus ille Sirbonis jun-

juncis admodum oppletus fuit, olim magnus, jam aridus. Trajectionem ipsam per hunc locum suadent situs urbium Baalzephon, sive Jovis Casii templum, Magdoloh, regio Gosen, Raemses sive Rameſſes, haud procul Tani marique, iter ad Sinah, iter ad sinum Arabicum tantis cum sarcinis & azymis & pecudibus intra tam breve tempus & per longum nimis & impeditum scopulis mare fere incredibile. Quæ Calixtus & Titius ex parte subodorati sunt, vid. Titium ad Scripturæ S. insigniora loca Disqu. XIII. n. I.

VI.

Vitæ Fatorumque *Johannis Henrici OTHONIS,*

Succincta (a) Delineatio.

NAtus est *Joh. Henr. OTHO*, Bernæ 15. Aprilis 1651. & primam pueritiæ ætatem in Oppido Thun apud Cognatum Joh. Holzerum, ejus loci præfectum, suaviter transegit.

(a) Debeo hanc humanitati doctissimi Viri Jo. Georgii *Altmanni*, Bernatis.

Ao. 1664. promotus fuit ad Lectiones publicas, animumque mox totum sua sponte studiis addixit, primam Linguis, speciatim Hebraicæ, dans operam, hancque tam diligentem ac simul facilem, ut stupendos brevi fecerit progressus.

Ad Philosophiam admissus pari cum successu profecit, primum jam in ea specimen publicum Ao. 1668. edere ausus, disputando de ὑπχαιρεκακία, s. *Irrisione*, sub præsidio *Davidis ALBINI*, Philosophiæ in urbe Patria tum Professoris acutissimi.

Ao. 1669. Lausannam iter aggressus est, moramque ibi primam IX. mensium fecit, publice denuo disputaturus in Materiam Theologico philosophicam de *Angelis*, Præside *Georgio MOLITORE*, Philosopho atque Theologo celeberrimo.

Hinc Genevam abiit, & per totidem ibi substitit menses, studium Hebraicum, quo præ cæteris delectabatur, strenue semper prosequendo, & ne Linguæ Latinæ usum amitteret Gallicæ intentus, Orationes Latinas subinde conscribendo publiceque proponendo.

Galliam dein ingressus Salmurienſem imprimis frequentavit Academiam, Celeberrimi Gaussenl assiduus auditor. Aureliæ quoque & Parisiis, postquam per aliquot menses esset commoratus, & cum litteratis bene multis familiaritatem contraxisset, in Angliam trans-

transfretavit, auguſtiſſimum illud omnis litteraturæ Emporium, Oxoniam, videndi deſiderio flagrans.

Pariſiis a quibusdam magni nominis Doctoribus Sorboniſtis ex occaſione ſpeciminis cujusdam editi, rogatus fuit, ut ipſis Prophetiam Eſaiæ ex textu originali interpretaretur, & verborum emphaſes explicaret.

Oxoniæ integrum egit annum, Bibliothecam quotidie adeundo, & Rabbinorum in ea ſcripta multivaria diligentiſſime ruſpando, unde & libellum de *Doctoribus miſchnicis*, (b) Oxoniæ primum editum, cum inſigni ad Lexicon Rabbinicum, deinceps edendum, apparatu collegit. Ut ad Bibliothecam tanto faciliorem ſibi pararet aditum, Celeberrimi Doctoris Hydii, Bibliothecarii, uſus eſt hoſpitio.

Oxonia quoque litteras dedit ad incomparabilem illum in Litteratura Hebraica & antiquitatibus Judaicis Virum, Joh. *Lightfootum*, P. Cantabrigienſem, quas Author Biographiæ ejus hiſce verbis citat.

„Ad exteros quod attinet, præter ea, quæ „jam audivimus, accipiamus, quanti eum fe„cerit unus ex iis jam ſupra memoratus, nem„pe Joh. Henricus Ottho, juvenis Bernen„ſis, qui videtur peragraſſe Galliam aliasque

(b) Hunc libellum notis ſuis auctum recudi fecit Cl. Relandus Amſtel. 1699. 8. Vide Cl. L. Faſc. II. p. 88.

„Regiones ſtudiorum cauſa, & tandem ve-
„niſſe, in Angliam, ubi cum eſſet, Oxonio,
„ſcripſit ad noſtrum Doctorem, ubi excuſans
„ſe, quod ad eum ſcripſiſſet, plurimi ſunt,
„inquit, qui nondum meruerunt a te cogno-
„ſci, qui tamen inter alias Gentes famam
„nominis tui exceperunt, & poſt præclaro-
„rum tuorum ſcriptorum lectionem in cultum
„tui venerabundi iverunt. Aſſerit præſer-
„tim Hebraismi ſtudioſos undique ei plaude-
„re, & inter alios nominat Juſtellum, Tor-
„mentinum, Thevenottum, Capellanum, Fer-
„randum Lutetiæ, Toignardum Aureliæ, ne
„jam, inquit, dicam de Eruditis popularibus
„meis, & Germanis, quorum nomina vix
„hæc contineret Epiſtola.

Ao. 1673. Menſe Aprili in Patriam reverſus eſt, & vacante mox Cathedra Philoſophica in Academia Lauſannenſi ab ampliſſimis Reipublicæ Bernenſis proceribus ad eam occupandam unanimi conſenſu deſignatus, hancque ſpartam per IX. annos & quod excurrit, ſumma diligentia & ſolertia exornavit, uti ſcripta ejus Philoſophica partim edita, partim vero, & ea longe plura inedita loquuntur.

Eodem anno, ne negotiis domeſticis nimium diſtraheretur, conjugem ſibi adjunxit Virginem lectiſſimam, Catharinam Ryhineram, Joh. Frid. Ryhineri, tum præfecti in Brandis, poſtea vero in Trachſelwald, & tandem Senatoris Reipubl. Bernenſis Filiam natu

ma-

maximam, quam per 45. annos tori Sociam habuit ut fideliſſimam, ita & ſuaviſſimam; Ex qua etiam quinque ſuſcepit Filios, totidemque Filias, omnes adhuc, quod rarum in tanto tempore & tam numeroſa Familia, per Dei gratiam ſuperſtites atque vegetos.

Inter hos natu primus Patri in officio Paſtorali, quo noviſſime defunctus, ab Ampliſſimo Magiſtratu ſingulari Beneficio fuit ſurrogatus; Secundus Numero Ducentum Virorum Reipubl. Patriæ adſcriptus &c.

Ao. 1674. Quod molitus erat *Lexicon Rabbinicum*, prelo ſubmiſit Genevæ, cui præfigitur Maſſechet Schekalim notis illuſtratum, nunc vero auctum Librariis ad alteram editionem offertur.

Ao. 1676. 24. Aprilis Bernæ diſputavit pro Cathedra Hebræo-Ethica, ad quam vero votorum pluralitate ei prælatus fuit Rodolphus (c) *Rodolphi*, quem & ipſe antea Præceptorem habuit in Hebraicis ad lectiones publicas recens promotus.

Ao. 1682. 5. Auguſti promotus fuit ad paſtoratum in Ruegſau & 1696. 28. Decembris ad alterum in Höchſtetten; ob ſtipendii tenuitatem ſtationem Academicam deſerere coactus Lauſanna diſcedens ingens ſui deſiderium ob eximiam Humanitatem & vaſtiſſimam Eruditionem bonis omnibus reliquit, nec certe hanc Muſarum ſedem cum villa ruſtica facile

(c) Vide de eo Cl. III. p. 361. ſqq.

commutaſſet, niſi ſtipendii ratio neceſſitatem ei impoſuiſſet quod dolendum, ineluctabilem.

Iterata vice vocatus fuit ad edenda publica pro Diaconatu in urbe ſpecimina, quæ quidem edere non detrectavit, at dignitatem ipſam conſtanter averſatus eſt, dicens, tam graves villicationes,& de quibus tandem tam magnæ reddendæ rationes, ſe minime ambire.

Ao. 1713. apoplexia correptus fuit, unde hæſitatio Linguæ & paralyſis brachii remanſit; Lingua tamen brevi reſtituta eſt,ſed ab eo tempore totum corpus lenta quadam tabe confici cœpit, mente nihilominus ſemper vegeta, & ad ſtudia ſupra modum propenſa.

Sub finem vitæ ſtertor eum quaſi perpetuus invaſit, ex quo tandem absque ullo gravi ſymptomate placide in Domino obdormivit die 16. Julii 1719.

Præter animi candorem & pietatem intemeratam,humanitatemque prorſus ſingularem admiranda fuit in hoc viro memoriæ felicitas cum indefeſſa laborioſitate conjuncta, unde in Hiſtoricis & philologicis ſtupendos fecit progreſſus, longe majores adhuc facturus, ſi per otium licuiſſet, nec defuiſſent ei ſubſidia, de quo ſæpius graviter conqueſtus eſt, neceſſaria.

Commercium litterarium habuit olim frequentiſſimum cum multis viris eruditis non tan-

tantum Helvetiis, ſed & extraneis, quod verò maximam partem abrumpere coactus fuit paſtorali cura diſtractus; continuavit tamen illud vere ad ultimum usque vitæ halitum cum celeberrimo *Joh. Baptiſta OTTIO*, Archidiacono Tigurino, non tam ob nominis cognationem aliquam, quam vero maxime ob Eruditionis omnigenæ apparatum, quo vir ille egregie eſt inſtructus, zelumque ejus pro Dei gloria & Eccleſiæ ſalute ardentiſſimum.

Multa reliquit opera Manuſcripta, at pauciora ex illis perfecta. Adſunt inter alia memoratu præ ceteris digna, quæ ultimam manum accepere.

1. Lexicon Theologico - practicum, tribus tomis in folio deſcriptum.
2. Hiſtoria Litteraria Tomis 2. in 4to. comprehenſa.
3. Tabellæ Hiſtoricæ. 8. tab.
4. Supplementum Lexici Rabbinici, flagitante Clar. Relando adornatum.
5. Adverſaria circa vet. Hebr. dogmata, ritus & ſtatuta ordine alphab. diſpoſita.
6. Tractatus Maimonidis Ægypt. de *Rege & Bellis*, in Linguam Latinam translatus.
7. Rabbinorum formulæ loquendi elegantiores.
8. Collectanea Hiſtor. Inſervientia Hiſtoriæ eccleſiaſticæ Bernenſi.

VII.

JACOBI HASÆI
DE
צלצל כנפים & צלצל דגים
ad illustranda loca Job. XL. 31. & Es XVIII: 1.

Dissertationis (a) continuatio.

CAP. V.

Vocabulum כנפים *apud Esaiam adjuvare interpretationem* Navigii.

ARGUMENTUM.

Exponi כנפים rectius de *alis* quam *oris*. Adsensus virorum Doctorum. §. 1. Utraque hæc vocis כנף significatio ex vet. lingua *Ægyptia* illustratur. Etymon urbis *Canopus*. Et κνηφ Dei *Cnephis*, ut & *Cannabis*. Germ. Knopff. Κνέφος & *enephosus*. §. 2. *Naves alarum* esse *naves alatas*. Similis constructionis exempla. Symmachi interpretatio illustrata. §. 3. *Alæ* navis sunt *vela*. Chaldæi & aliorum adsensus. De diferopantia נס & כנף cum de *velo* na-

(a) Prima quatuor hujus Schediasmatis capita in quintæ Classis Fasc. IV. p. 563. sqq. leguntur.

navis usurpantur. Es. XXXIII: 23. lux. §. 4. Græcis πτερὰ, πτίλα, *alæ*, sunt navium *vela*, ἱστία. Locus Lycophronis adversus Tzetzen explicatus. Naves λευκόπτεροι & λινόπτεροι, πτερῶσαι ναῦν. §. 5. Latini itidem *vela* navis vocant *alas*. Naves *velivolæ*, *volare*, de navibus ope *velorum*. §. 6. *Dualis* numerus de *pluribus* & *unico* subjecto sæpe usurpatus. §. 7.

§. I.

HUcusque id dedimus operæ, quo generali de צלצל instituta disputatione evinceremus ejus indolem a notione *navigii* haud alienam esse. Excutiamus nunc ipsa Jobi atque Esaiæ loca, numne in ipsa sacrorum virorum oratione sensusque apud utrumque cohærentia, aliquid sit residui, quod veterum versioni explicationique possit esse præsidio. Ordiamur ab Esaia. Jungit ille צלצל vocem כנפים *Canaphajm*. Quæ vox כנף cum & *oram* seu *extremitatem* rei indicet, atque *alam*, desudant interpretes, quænam huic adposita sit interpretatio, multa sane dissensione. Verumtamen, cum partim consuetior & vulgarior vocis sit significatio ut *alas* indicet, partim & veteres Græci per πτερυγες reddiderunt, optimi interpretum, partim & Bochartum hic de *oris* cogitantem, confutaverit Huetius Dem. Ev. Prop. IV. Cap. X: §. 4. merito quidem expositio-

sitioni de *alis* inhærendum esse arbitramur. Idque multo magis, quoniam cernimus doctos homines, qui quondam sententiæ de *oris* suam addixerunt, re dein melius expensa, alteram de *alis* amplexos esse. Exemplo sit Glassius qui in Gramm. S. L. IV. tract. III. obs. 8. p. 1291. de *ora* cogitavit, postea in Rhet. S. L. V. tract. I. Cap. XI. p. 1762. mutata sententia *alarum* interpretationi calculum addidit. Etiam Celeb. *Lampius*, qui quondam *oras* reddendum esse כנפים cum Junio & Tremellio existimavit L. I. de Cymb. Vet. Cap. 21. maturiori examine iis accessit, qui *alas* transtulerunt in diss. de βδελύγματι τῆς ἐρημώσεως §. 28. sqq. quæ extat hujus Biblioth. Cl. III. p. 1019.

§. 2. Utraque vero quam voci כנף dedimus, explicatio, ex veteri lingua *Ægyptia*, cui ceteræ Africanæ adfines fuere, potest illustrari. Et prior quidem de *oris* ex voce *Canopi* vel *Canobi* urbis Ægyptiorum celeberrimæ. Memorant quidem veteres huic civitati a *Canobo* Græco homine & gubernatore Menelai nomen esse. Verum dudum antea quam Menelaus cum Canobo eo advenerit, id urbi nominis adhæsisse notavit Pignorius de Mensa Isiaca p. 75. Auguror proinde dictam *Canopum* A כנף *canaph*, vel *canop* quia in *angulo* situm nacta, atque in extrema *ora* Ægypti occidentali ad ostium quod hinc *Canopium* dicitur, Vid. Strabonem L. XVII. p. 800. Illud enim

Ca-

Canopicum oſtium Aſiam *diſcernit* ab Africa, adeo ut hujus ſit *terminus* Canopus. Scylax periplo p. 43. Ed. Oxon. Τὸ δὲ Κανωπικὸν στόμα ὁρίζει Ἀσίαν καὶ Λιβύην *Canopicum oſtium* terminus *eſt Aſiæ atque Africæ.* Inde & ORAM *Canopi* memoraſſe videas Statium Prop. Met. Celer. L. III: Sylv. v. 111. Addo, cum multa ſit adfinitas veteris linguæ Germanicæ cum iis quibus oriens quondam celebris fuit, hinc fortaſſe popularibus noſtris eſſe Knopff vel Knoop a כנף, quod illi nodi *promineant* in veſtimentis. Videtur & nomen *Cannabis* ſeu *Cannabi* (Gr. Κάνναβις) inde deducendum eſſe. Eſt enim vox *Ægyptia.* Quippe ex Ægypto maximo numero in Italiam Cannabis deferebatur. In adulta vero cannabe frequentes *nodos* extremitati adeſſe caulis deprehendas. Altera ſignificatio vocis כנף apparet ex nomine κνηφ vel κνυφ *Cnephis* & *Cnuphis*, celeberrimi Ægyptiorum numinis, quippe quod *alis* præditum erat, indeque nomen ab hac ipſa *ala* כנף adeptum eſt, pluribus hoc eruditis obſervantibus, quorum nomina citat Celeb. Lampius cit. diſſ. §. 27. Quia vero ſub *alis* eſt *umbra* & *caligo*, unde frequenter in ſacris mentio צל כנפים *umbræ alarum* Pſalm XVII: 8. XCI: 1. hinc ab hac ipſa כנף deducendum eſſe Græcorum κνέφας & κνέφος, voces ipſis *caliginem tenebrasque* indicantes, auguror. Græculi enim hoc vocabuli a κενὸν φάος *vacuum lumine* deducentis, ipſi *vacui* ſunt *lumine* etymo-

mologico, & in his palpitant *tenebris*. Allusio illa est, haud etymologica derivatio. Hinc Latinis *cnephosus* pro *caliginosus* autore Festo: *cnephosum*, ait, *antiqui dicebant* tenebricosum, *Græci enim* κνέφας *appellant obscurum*.

§. 3. Reddimus igitur צלצל כנפים cum Græcis interpretibus πλοίων πτερύγων: *væ terræ* NAVIUM ALARUM: hoc est secundum Hebraicam loquendi rationem, *navium alatarum*. Illi enim & Græca Lingua expressere Hebraismum latentem in hac constructione. Horum sermone substantivum, junctum substantivo, constructo cum casu *generandi*, debet *posterius* substantivum exprimi per *adjectivum*. Illustris *Huetius*, citato loco, plurima exempla protulit. „*Cymbalum* (ita ille צלצל redd.) *alarum*, ait, significat *Cymbalum alatum*, „ut *avis alæ* avem *alatam*, arbor *fructus* arborem *fructiferam*, corpus *mortis* hoc est *mortale* &c.„ ubi pluribus exemplis rectissime hanc illustrat constructionem, de qua & *Glassium* consules Gram. S. L. III: tract. I: Can. VIII: n. 2. Et *Vorstium* de Hebr. N. T. Cap. IX. Ex profanis scriptoribus his paria attulere & quidem ex veteri *Latio* Reverendus *Huetius*, ex *Græcia* vero *Hor. Vitringa*, observ. in Vorst. Hebr. Cap. III. p. 225. qui sane tantum exemplorum, quantum satis est, ad eam corroborandum adduxerunt. Optime hinc, quod ad constructionem, כנפים per adjectivum exposuit Symmachus, reddens vocabulum jun-

juncto צלצל ἦχος πτερωτὸς *sonitus alatus*, qua tamen quid intenderit sublime *volanti* interpretatione, haud facile explicueris, nisi cum *sonitum* intelligere *celerem* & qui cito se repandit, uti *celeritatis* symbolum sunt *alæ*, dixerit. Qui autem צלצל per ἦχος reddiderit, antea Cap. I: §. ult. vidimus. Accedit Hieronymus qui *Cymbalum* explicuit *alatum*, magnumque recentiorum interpretum sodalitium.

IV. Exploranti vero quid *navis* sit *alata* & *navis alæ*, curate satisfiet Chaldæi expositione, docentis VELA *navis* intelligenda esse. *Væ terræ*, exponit locum, *ad quam* בספנין *in* NAVIBUS *advenitur de terra longinqua*, & קלעיהון פריסן VELA *earum* EXPANSA *sunt instar aquilæ quæ volat* בכנפוהי ALIS *suis*. Imo ipsi qui צלצל de *umbra* exponunt, oculis menteque, ne verum prospexerint, *caligine* satis *obumbratis*, nihilo secius כנפים explicant de *velis* navium, quæ quanto rectior se haberet expositio, si compertum habuissent צלצל pati interpretationem *navigii*. Lutherus. Wehe dem Lande das unter den Seegeln im Schatten fähret. Glassius Rhet. Sacr. L. V. tract. I. Cap. XI. p. 1762. locum bene παραφράζει si a notione צלצל de *umbra* discesseris. *Per* alas, ait, umbratiles *intelliguntur* VELA NAVIUM, *quæ extremæ earum sunt partes & in* formam alarum *expanduntur*, & *celerrimi motus super aquas maris instrumenta sunt a ventis cum inflantur. Eadem etiam navigantibus*

um-

umbram faciunt. Et hæc quidem quoad *vela* optime. Equidem, fatemur, כנפים hoc sensu vocem esse ἅπαξ λεγομένην; at nec esse, cur id miremur quod vel de *nauticis rebus*, ne dum de *partibus navis* ejusque instrumentis, tam parca occurrat mentio in SS. litteris. Quieti igitur esse possumus elegantem satis hanc esse metaphoram, quod *alarum* nomine *navium vela* intelligantur, cum quod *avibus* sunt *alæ*, id *navigiis* sint *vela.* Nam rerum indoli similitudinique adeo accommoda est hæc locutio, ut multæ barbararum gentium, quæ *naves* oculis nunquam conspexere Europæorum, simulatque easdem contemplatæ sunt, *aves* grandiores esse putaverint, & *vela* alba earundem *alas*, quod plurima priorum seculorum tradunt itineraria, præcipue de incolis *Nigritiæ.* Occurrit alias in sacris נס de *velo* navis, Esaiæ XXXIII: 23. Ἐῤῥάγησαν τὰ σχοίνιά σου, ὅτι οὐκ ἐνόσχυσαν, ὁ ἱστός σου ἔκλινεν, ὁ χαλάσαι (נס) τὰ ἱστία, ubi mentionem vides *funium nauticorum* σχοινίων, *mali navis* ἱστοῦ, & *velorum* ἱστίων. Videtur tamen quædam esse inter נס & כנף differentia, ut hoc sit *brevius* velum, quale in *parvulo* est *navigio*, cui ob *brevitatem* cum *ala* maxima intercedit similitudo. Illud vero נס sit velum *grandius* simile καταπετασματι, latioris *expansionis.* Loquitur enim propheta Cap. XXXIII. de *grandiori navi*, quod ex v. 21. constat, ubi vocat אניר אדיר *navem magnam.*

Ca-

Capite vero XVIII. de צלצל seu *navigio minutiori* ut multoties indicavimus.

§. 5. Translatæ autem hujus significationis, qua *vela* navium *alæ* adpellantur, multiplicia in *Græcorum Latinorumque* scriptis deprehendas exempla, quæ loco Esaiæ illustrando adprime conducunt. *Græcis* enim πτερὸν *alam* esse ἱστίον *velum navis* docet Eustathius, notionisque egregiam reddit rationem, ad Homeri Il. α: v. 480. Ἀρχὴ δὲ γέγονε τῦ ΠΤΕΡΑ νηὸς καὶ τὰ ΙΣΤΙΑ λέγεσθαι. Διαπετάννονται γὰρ καὶ ὠκύτητος εἰσὶν αἴτια, ὥσπερ ΠΤΕΡΑ τοῖς πτηνοῖς, οὕτω καὶ αὐτὰ ταῖς ΝΑΥΣΙ. *Olim & navis* VELA *dicta sunt* ALÆ, *quia expanduntur* (vela instar *alarum.*) *Et ut celeritatis causa* ALÆ, *in* VOLATILIBUS, *sic illa* (vela) *in* NAVIBUS. Exemplis hæc comprobemus quibus πτερὸν de *velo* navis usurpatur.

Lycophron. Cass. v. 514.

Μηδὲ ΠΤΕΡΩΤΑΣ ὁπλίσαντες ΟΛΚΑΔΑΣ

Neque illi ALATAS *armantes* NAVES.

Ubi ὁλκάδες πτερωταὶ sunt *naves* VELIS tanquam *alis* instructæ. Apparet hoc ex v. 25. ubi æque *alarum* in *navi* mentio pro *velis*, cum *Phalacrææ filiæ* (ita naves vocat ex sylva Phalacra excisas) memorantur

Τῶν ἐς Καλυδνῶν λευκὰ φαίνουσαι ΠΤΙΛΑ.

Ultra Calydnas albas *ostendere* ALAS.

Πτίλα hic esse πτερὰ seu *alas* recte vidit Tzetzes ea tamen in re errans ut & ejus indicio *Canterus*, doctissimus ceteroquin Lycophronis in-

terpres, quod hanc vocem de κώπαις seu *remis* intellectam velint. *Remis* quidem æque *alas* tribui novimus docentibus id pluribus *Meursio* & *Pottero* ad eundem Lycophronis locum. Verum hoc in loco, ubi epitheton λευκὸν jungitur, λευκὰ πτίλα sunt *alba vela*, quæ ex *albo* constant *lino*, unde navis λευκόπτερος AL-BAS *habens* ALAS, & λινόπτερος LINEAS *habens* ALAS seu *vela* Aeschylo sunt voces synonymæ in Prometheo. Explicuit & de πτερυγοῖς hunc ipsum Lycophronis, quem citat, locum Eustathius ad Odyss. λ. Maxime vero juvabit Homerum contulisse cui λευκὰ πτίλα Lycophronis sunt λευκαὶ ἱστίαι *alba vela* Il. α'. v. 480. Utitur vero & voce πτερῶν de navium *velis* Pindarus Olymp. IX. A. v. 4. navem vocans ὑπόπτερον ALATAM quam recte de *velis* explicat vocem Er. Schmidius. Atque, ut vela contrahamus, cui ignotum est πτερῶσαι ναῦν *navem* ALIS *instruere* proprie esse *velis* ornare? qua de re Lexica consulantur.

§. 6. Latium quoque vetus consulenti abunde similes obviam venient locutiones. Ipse pater Ennius vocavit *naves* VELIVOLAS, quod *velis* tanquam *alis* mare *transvolent*. Fragmentum servavit Servius simul metaphoræ indolem, ut antea Eustathius, exponens ad Aen. I. v. 224. *Duas*, ait, *res significat* (*mare* VELIVOLUM qua phrasi usus poëta) & *quod* VELIS VOLATUR *ut hoc loco*, & *quod* VELIS VOLAT *ut Ennius* NAVES VELIVOLAS

LAS *qui & proprie dixit. Est enim reciproca metaphora* NAVIUM & AVIUM. *Legimus enim:* & VELORUM pandimus ALAS: & *contra de apibus* Nare per æstatem liquidam: *cum* natatus *navium sit*, alæ *vero* avium. Locus Virgilii quem in hac causa citat Servius, extat L. III. Aen. v. 520.

- - Nos CASTRA *movemus*
Tentamusque viam, & VELORUM *pandimus* ALAS.

Eleganter hic *castrorum* vocabulum usurpat non modo de re *nautica* & *classe*, ut recte Servius animadvertit, verum & in eadem hærens metaphora, & *alarum* in *classe* facit mentionem. Quippe hanc & illam castrorum partem seu cornu dictum esse *alam* scimus, unde nobis der rechte und lincke Flügel. Cerda observat poëtam contra *classem* dixisse de terrestri *exercitu*. Eadem de *alis* metaphora adest cum poëtæ naves *Volare* dicunt. Catullus L. I. Carm. 4. de *Phaselo*

- - *sive palmulis*
opus foret VOLARE *sive* LINTEO,

ubi *linteum* est *velum lineum* in navi expansum ventoque oppositum ut celeritas cursus navis promoveatur. (a) Virgilius III. Aen. v. 124.

(a) Adde Virgil. L. V. v. 219.
-- *Secat ultima Pristis*
Aequora, sic illam fert impetus ipse VOLANTEM.

Linquimus Oſtygiæ portus pelagoque VOLAMUS,

nimirum ope *velorum* quæ inſtar *alarum* ſunt. Servius : *pelagoque volamus, quia ut alibi mare* VELIVOLUM. Pariter Hebræis עוף *volare* dicitur omne quod *celerrimum* eſt *velocique* fertur motu. Vide Glaſſium Rhet. Sacr. L. V. tract. I. Cap. XI. p. 1762. ſq. Unde & noſtris מלאכים קלים *nuntiis LEVIBUS* v. 2. dantur כנפים ALAE, quibus *celerem* curſum perficiant denuntiando iram divinam.

§. 7. Quæ cum ita ſe habeant, nollem cum iis vitilitigare, qui in voce כנפים *Canaphajim* urſerint numerum *duorum*, adeoque antequam dictis fidem ſint adhibituri, mihi probationem injunxerint, has naves veterum modo *duobus* ornatas eſſe *velis*. Nam ſi vel *decem* velis inſtructæ fuerint, iis vocem *dualis* numeri haud adverſam fore crederem, utut probabile ſit, *brevia* adeo minutaque *navigia*, haud facile pluribus ac *binis* velis *parvulis* locum dediſſe. Quicquid ſit, Hebræi cum toties numero *duali* de *pluribus* utantur, & hoc loco de numero alarum nulli controverſiam faci-

& Ennium apud Macr. L. VI. c. I.
Labitur uncta carina, VOLAT ſuper impetus undas.
& Furium Antiatem:
Sicut fulva levis VOLITAT ſuper æquora claſſis
ut & Cat. Carm. LXV: v. 8.
Ipſa levi fecit VOLITANTEM flamine curſum.

T. d. H.

faciendam esse censeo. Glassius Gr. S. L. III. tract. I. Can. 22. de hoc usu dualis numeri egit. Quin imo Celeberrimus *Relandus* in Præfat. *Palæstinæ* abs se erudita opera ex Vet. mon. *illustratæ*, varia exempla protulit nominum *dualis pluralisque* numeri, quæ *unico* subjecto tribuuntur ut *Mizrajim*, *muppim*, *schuppim* &c. (b) Quocirca, cum כנפים esse *vela* ex dictis constet, vides sane quam eleganter & צלצל interpretes Græci, qui ipsi in *Aegypto* vixere *Alexandriæ*, hasque quotidie naves usurpare oculis poterant, per πλοῖα *naves* reddiderint. I. Q. E. D.

CAP. VI.

Vocabulum דגים *apud Jobum pariter auxilio esse interpretationi* צלצל *de navigio*

ARGUMENTUM.

Explicatio de *navi piscatoria*. quid *navis piscium*. רונה & רוגית. §. 1. Notat דגים *piscatores* heic loci non *pisces*. Vetus lectio loci adstructa. Alias piscatores dici רוגים & דיגים. frequens omissio τῦ ן in S. Codice. §. 2. *Piscatores* apud Jobum sunt *Aegyptii*. *Aegyptiorum* commercia cum *Phoeniciis*. Apud Jobum v. 30. emendatus, & illustratus. §. 3. בני שחץ. בן & בת *filius* & *filia* pro *incolis*. *Canaan* pro *mercatore*. §. 4.

§. 1.

(b) Imo ipsum כְּנָפַיִם in numero duali Es. I: 6. de *sex*

§. 1.

ATtingamus & alterum Jobi locum, ubi צלצל דגים reperimus. Agitur de Leviathane piſce grandiori, ejusque difficili *captura* qui ſane, cum in maximis *fluminibus pelagisque* conſpicuus eſt, capi haud poteſt ſine *navium* & ſine *piſcatorum* opera. Quid miri igitur, Jobum hic mentionem facere *navium*, quarum ope Leviathan capiunt *piſcatores*, indeque bene concludi, recte ſe habere Græcorum interpretationem, qui verba hæc πλοῖα ἁλιέων *naves piſcatorum* expoſuerunt? Dices דגים non notare *piſcatores* ἁλιεῖς, ſed ἰχθύας *piſces*, adeoque nævi veterem verſionem argues. Videlicet uti צלצל כנפים *navis alarum* apud Eſaiam eſt *navis alata*: ſic צלצל דגים *navis piſcium*, ſive quæ *piſces adfert*, erit *navis piſcatoria* ναῦς ἰχθυόφορος. Iſtiusmodi navem Talmudici vocant דוגית *piſcatoriam* ellipſi vocis *navis*, quod דוגים *piſcatorum* propria ſit, notante Buxtorfio Lex. Talm. p. 507. Uti & דוגה Amos. IV, 2. per *naviculam piſcatoriam* explicare ſolent.

§. 2. Verum cum דגים *dagim*, ut heic loci ſcriptum eſt, non ἁλιεῖς *piſcatores* indicent, qua tamen voce Græci eam reddidere, prætereaque multo concinnior locutio ſit *navis pi-*

ſex Seraphinorum, & Ez. I: 6. de quatuor animalium alis uſurpatur. T. d. H.

piſcatorum pro *piſcatoria*, quam *navis piſcium*: quid ſi dicamus, veterem lectionem, quæ apparuit in Codd. Vet. Teſt. quibus ante tot ſecula uſi Alexandrini, haud fuiſſe דגים ſed דוגים *dawagim* vel דיגים *dajjagim*. Utroque enim modo vox illa ſcribitur, & ἁλιέα *piſcatorem* indicat, uti & Græci interpretantur. Jeſ. XIX. 8. καὶ ϛενάξουσιν (דיגים) οἱ ΑΛΙΕΙΣ *Et mœrebunt* PISCATORES. Ezech. XLVII: 10. καὶ ϛήσονται ἐκεῖ (דוגים) ΑΛΙΕΙΣ, & *ſtabunt illic* piſcatores. Uti & Jerem. XVI: 16. ἰδὲ ἐγὼ ἀποϛέλλω τοὺς (דוגים) ΑΛΙΕΙΣ κ. τ. λ. *Ecce ego mitto* piſcatores. &c. Quo tamen id tantum volumus indicio, ut, qui alieni ſunt ab emendationibus locorum S. S. tantumodo aliam interpretationem vocabulo דגים accommodent, neque de *piſcibus*, ſed de דוגים ἁλιεῦσι cum Græcis interpretentur. Accidit enim vel ſexcenties in V. T. codice Hebræo ut, vocibus exciderit, quod vel ex iis manifeſtum locis in quibus, eadem manente ſignificatione, paſſim exaratur, paſſim omittitur. Ita hic ſcriptum reperimus לא *lo* illic לוא, mox תכיים *Tuckiim*, mox תוכיים, hic קופים *kuphim*, illic קפים. Alibi תר *tor*, alibi vero תור cum *turturem* indicat. Conf. Cant. II: 12. & Levit. V: 7. itemque cum *ſeriem* innuit ſeu *ordinem*, Conf. Eſther. II. 12. 15. & 1. Chron. XVII: 17. Tyrus paſſim ſcribitur צור verum & צר Pſalm. XLV: 13. In inſcriptione Pſalmi XXII. habes אילת שחר ἀντιλήμψεως opitulationem, ſed v. 20.

אילות de quo loco & hac ipsa litteræ hujus omissione alibi disputavimus. (a) Verum apud Alexandrinos eadem vocis explicatio, & eandem deposcit lectionem.

§. 3. De *Aegyptiis* autem apud Jobum sermonem esse *piscatoribus*, non solum exinde colligas, quod Aegyptus abundaret piscatoribus, quod nimirum tot fluminibus fossisque perluta egregie *piscationi*, & quidem, quæ *parvis* fit *navigiis* esset accommoda, sed & id insuper ex versu v. 30. discimus; Quippe illis qui *capturæ* Leviathanis operam dant, tribuit commercium cum *Cananaeis* seu *Phœnicibus*, quod *Aegyptiis* frequentissimum erat, non item *Ichthyophagis*, *his* ad *idem* mediterraneum *mare* habitantibus, illis vero integris terrestribus divisis abhinc regionum spatiis. Ait enim Jobus. *Epulabuntur de eo gentes? & distribuent eum* בין כנענים *inter Cananaeos?* Locus utut videatur perspicuus, tamen uberiori indiget lumine. Apparent enim in eodem, quod de alio observavimus, iterum duo orationis membra seu hemistichia, quorum vocabula ad semet invicem mutua σχέσει debent referri: Uti vero hinc verba יִכְרוּ *epulabuntur*, & יִחֲצוּהוּ *divident* ad se spectant; siquidem gran-

(a) Puto hic satis responsionis ad allatam difficultatem contineri. Neque ulla vel in hoc loco, vel alibi opus esse textus Ebræi correctione. T. d. H.

grandiores piſces, antequam *epulis* ſint commodi, *dividere* atque partiri in fruſta oportet. Ita & חברים reſpondere debet voci בין. At cum prima vox notet *ſocios*, *gentes*, altera vero particula ſit denotans *inter*, nihil eſſe commune vides his ſignificationibus. Græcam vero verſionem in auxilium vocans, inter utramque vocem plurimum quondam fuiſſe adfinitatis pernoſcas. Ita illi:

ἐνστῦνται δὲ ἐν αὐτῷ ἔθνη,
Μερίπευονται δὲ αὐτὸν Φοινίκων ἔθνη;

Epulabuntur de eo gentes?
Et divident eum Phœnicum nationes?

Adſpicis igitur Græcos utramque vocem cum חברים tum בין expoſuiſſe per ἔθνη *gentes* ſenſu optimo & eleganti.

§. 4. Sed quibus fidiculis ex בין extorquebis notionem ἐθνῶν? Credas (b) idcirco velim in Alexandrinorum Codice litteras hujus vocis transpoſitas fuiſſe eo ſenſu, & ratio Hebræi poſtulat ſermonis, & pro בין ſcriptum בני *bene* quod in conſtructione cum כנענים poſitum pro plurali בנים (*banim*) *filiis* hoc eſt ἔθνεσι *incolis*, *populis* Phœniciorum.

(b) Ad ego id nunquam credam. Neque ulla neceſſitas eſt, ut textum authenticum miniatulis ceris noſtris objiciamus, quo ille verſioni aut potius μεταφράσει των LXX. per omnia reſpondeat. T. d. H.

Ita בן *filius* & בת *filia* sæpissime pro *incolis* regionum & urbium ponuntur, בני קדם (*bene Kedem*) *filii orientis* sunt *populi, gentes orientales* Gen. XXIX: 1. & בני ציון (*bene Zion*) *filii Zion* ejus *incolæ* Psalm. CXLIX: 2. Pariter Psalm. XLV: 13. בת צר (*bath Zor*) *filia Tyri* sunt *Tyrii, uti* בת תרשיש *filia Tharsis* Es. XXIII: 10. *Tarteſſii*, & ibidem v. 13. בת צידון *filia Zidon* pro *Sidoniis*. Sic בת בבל *filia Babel* sunt *Babylonii* Psalm. CXXXVII. 8. Atque ita elegantia dictioni Jobi reddita est. Alii autem כנענים reddunt μεταβόλας *mercatores*. Et hoc haud male. Quoniam *Phœnices mercaturæ* erant addictissimi, unde in sacris כנען *Canaan* vel *Phœnicium* sæpissime pro *mercatore* poni *Phœnicio* protrita observatio est, uti & Græca versio pro כנען *Canaan* Es. XXIII: 8. habet ἔμπορος *mercator*. Præcipue Hos. XII: 7. celebratur כנען *institor*, (mercator) *in cujus manu est lanx dolosa*, ubi Κανανὶν in Græca versione ad marginem explicatur μεταβόλον.

CAP. VII.

Significatio vocis צלצל *pro* navigio *alio argumento adstruitur.*

SUMMARIUM.

Mentio *navium papyracearum* in Esaiæ v. 2. illustrat notionem צלצל in v. 1. §. 1. Quænam *terra* indi-

gi-

gitetur a propheta his *navibus* abundans? Videtur oratione prophetæ deſcribi populus late *ultimam* occupans Africam ab *Aſtaboræ* & *Aſtapi* usque cum *Nilo* confluentiis. Notæ characteriſticæ. v. 2, 3. & 7. illuſtrati. §. 2. Apud Jobum *prius* hemiſtichium illuſtrat poſterius. In utroque mentio eſt *navis* ex Græca verſione. Vis argumenti. §. 3. Recapitulatio omnium argumentorum. §. 4.

§. I.

QUi Hermeneuticæ ſacræ operam addixerunt, compertum habebunt nihil frequentius eſſe in ſacris litteris, ac bina vel terna commata ſemet proxime excipientia poni, quorum poſterius ut cum priore ſenſu convenit, ita illud explicare concinne, & in genuinam ejus interpretationem nos abducere. Alibi de hoc negotio latius diſputavimus cum in diſſ. de Gloſſem. Nov. teſt. §. 11-13. tum in Anal. Bibl. §. 34-36. In vexato pariter hoc Eſaiæ loco verſum *ſecundum* exponere *primum* facile videmus, dum ait propheta v. 1. *Væ terræ* צלצל כנפים - - Et v. 2. *quæ mittit* צירים *legatos* (*obſides*, ὄμηρος Græci) כלי גמא VASA PAPYRACEA *ſuper faciem aquarum*. Porro. *Ite* מלאכים קלים NUNTII LEVES *ad gentem* &c. Quippe cum *vaſa papyracea* & *leves nuntios* in v. 2. eſſe *navigia* conſtet Africanorum *papyracea* & *arundinea*, quæ *celerrima* erant (vide Cap. II: §. 4, 5, 6.) Nihil bonæ interpretationis regulis magis convenit, ac ut & צלצל

צלצל כנפים in v. 1. de his ipsis *navibus* intelligamus, terra enim illa describitur (1) quæ ejusmodi *navibus repleta* est v. 1. (2) quæ illas *mittit* ad alias gentes *super faciem aquarum*. v. 2. Adeo ire hinc illi *leves nuntii* jubentur ad gentem *peregrinam* & *superiora loca inhabitantem* seu μετώρου. Exemplum capiamus ex loco Esaiæ XIX: v. 8. Quemadmodum illic *triplici* nomine occurrit gens *piscatorum*, & quidem vocatur (1) דיגים *piscatores* (2) *qui hamum conjiciunt in rivum* (3) *qui expandunt rete in superficiem aquarum*: Atque ut *posteriora* commata *duo* explicant prius nomen דיגים cumque eo sensu coincidunt: eodem modo & heic loci, quæ dein v. 2. memorantur (1) *nuntii leves* & (2) *vasa papyracea* æquum est ut censeamus eadem esse (3) cum צלצל v. 1. Adeoque ut illic *navigia* intelligis, sic & huic voci eandem significationem dare necesse sit. Aliud exemplum habes in v. 1. Psalm. I. Vide quæ ad illum locum olim commentati sumus in Anal. Bibl. §. 27.

§. 2. Existimabunt igitur plurimi maximopere notionem hanc צלצל illustratum iri, siquidem excusserimus quæ illa *terra* sit his *navigiis vasisque papyraceis* & *nuntiis levibus* abundans, quæque dicitur esse מעבר לנהרי כוש *transflumina Cuschæe*, vs. 1. Prophetam vel de gente *Africana* vel quæ *ultra Arabiam* est, loqui patet. Verum, quod tam *omnes* populi *Africæ*, quam qui ultra *Arabiam* (quam Bochartus

כוש

כוש esse vult) habitant ad oceanum ejusmodi *navibus* utantur *arundineis papyraceis*, ut Cap. II: §. 6. indicavimus: nihil inquisitionem operosiorem de hoc populo significationi אלאל de *navigio* ejusmodi *papyraceo* prodesse facile animadvertimus, quod tam *Ægyptii*, quam *Aethiopes* (de his enim duobus populis contendunt interpretes) iisdem utantur. Eadem vero de terra *Cuschæa*, tum de *fluviis Cuschææ*, quas indicat Propheta, & denique de terra quæ est *trans* hæc *Cuschææ flumina*, (capiendum est enim עבר notione *trans* quæ ipsi est vulgatissima, rectissimeque Græci ἐπέκεινα *trans* exposuerunt,) cum longioris sit anhelitus disquisitio: eadem & heic loci ex facili supersedemus. Paucis tamen ut sententiam exponamus, quanquam orationi prophetæ nonnulla adsint quæ interpretationi de *Aegyptiis* favent, plurima tamen videri adesse quæ de alio terrarum tractu nos cogitare jubeant. Rationes idcirco nobis haud deesse forsitan, cur eo nomine intelligamus vastissimum illum terrarum Africanarum tractum, qui ab *Astaboræ Astapique* cum *Nilo* confluentiis (*flumina* enim hæc videntur omnino esse נהרי כוש *flumina Cuschææ*) ad *ultimum* Africæ promontorium, quod nunc sub *capitis bonæ spei* nomine, olim vero *prasi promuntorii* cognitum fuit, porrigitur. Hæc quippe & (1) gens ממשך μετέωρος *sublimis* seu quæ *superiora* loca & *montana* inhabitat. Gente enim μετωροι Ger-

ma-

manice ſunt Hochländer/ contra quas diſtinctæ Niederländer/ hoc eſt, *ſuperiores* & *inferiores*. Uti Germani & Scothi dividuntur in Hochländer & Niederländer. Dein (2) eſt גוי מורש ξένον λαὸς *gens peregrina, incognita*, utpote longinque diſſita, adeoque *incognita* natio, uti & tempore non modo Strabonis erant hæc ἔθνη Lybiæ τὰ πλεῖστα ἄγνωστα *pleræque incognitæ, quod multi non eo ducti exercitus* aut *peregrini inde advenerint* L. II: p. 90. Sed noſtro etiamnum haud cognitæ ſatis ſunt iſtæ barbaræ nationes. Porro gens eſt (3) ultra *quam non eſt alia*. Habitant enim *ultimum* terræ auſtralis tractum. Inde Græci τίς αὐτῆ ἐπέκεινα; *quæ gens eſt trans illam?* Et Symmachus, μεθ' ὃν οὐκ ἔστιν ἐπέκεινα *poſt quem nullus eſt populus ultra* ſeu *trans*. Quippe hi *Æthiopes* Lybicæ ut vocantur, ſunt *procul diſſiti*, atque hinc ἔσχατοι ἀνδρῶν *ULTIMI hominum* Homero Odyſſ. α: v. 22, 23. apud quos Jovem memorant celebrare convivia ad *Oceanum* Il. α': v. 423. Præterea eſt (4) *gens conculcata* λαὸς καταπεπατημένον, מבוסה, hoc eſt *ſervilis* viliſſimoque habita loco, qua etiam conditione ſunt ad hodierna usque tempora. Tum eſt (5) *populus MAGNUS* ſeu *terribilis a quo fuit & hucusque* v. 7. ſeu nunquam eo tempore, quo hæc ſcribebat Eſaias, *debellatus*. Nam *primum* quidem eos bello ſuperaſſe Ptolemæum I. Ægypti regem Evergetem dictum, teſtatur monumentum vetus Adulitanum, in *Adules* ur-

urbe ad ſinum Arabicum, in teſtimonium hujus victoriæ, a *Ptolemæo* ipſo erectum, & a Cosma Indopleuſte ſervatum L. II. Cosmograph. Chriſtianæ & poſt Cl. *Montefalconium* a Celeb. Fabricio editum in Bibl. Gr. L. III: Cap. XXV. p. 605. ſqq. quod & hos populos ὄρεα μέγιστα *maximos montes* habitare prodit. Denique eſt & gens (6) קי-קי *præcepti* & *præcepti*, hoc eſt *multorum præceptorum* quæ ritus & *religionem* ſpectant, ſeu *ſuperſtitioſiſſima*, unde & Græci ἔθνος ἀνέλπιστον, gens *quæ ſine fide eſt* & vera religione (relatione habita ad *Judæorum* verum cultum) reddiderunt. Quæ quidem, ut opinor, notæ Characteriſticæ *Aegypto* haud commodæ ſunt. Quapropter & ab interpretibus de Ægypto has voces exponentibus, ad alios longe ſenſus abducuntur, ac in veterum verſionibus iis datos eſſe pervidemus. Verum de his uberius heic loci diſſerere nec vacat, nec inſtituti exigunt ratones. Ipſum illum virum longe celeberrimum qui tantopere pro *Aegypto* depugnat, adeo ut hypotheſes ſecus principio cenſuerit eſſe ἀναμεσοβήτας in ἀναπείσει Cap. XVIII. §. 3. p. 513. dein tamen, cum Cap. XIX. interpretatus eſt, confitentem habemus in nota ſubjecta p. 583. eſſe in veterum monumentis quæ interpretationi de *Aethiopia* vel *Abyſſinia* poſſint *magno* eſſe *uſui*.

§. 3. His eapropter miſſis, diſpiciamus, numne & apud Jobum quidpiam hæreat, quod in-

interpretationi Græcorum צלצל pro *navigio* illustrandæ commodum sit. Et erit sane si præcedentem partem hujus commatis, cum hac ipsa, de qua disputamus, contulerimus. Apparent enim hic rursus duo commata, quæ mutuo se respiciunt, præcedensque subsequenti lucem affundit. Illam loquendi rationem & obtinere apud Jobum haud est cur dubites ex parte ulla, quod non solum passim iisdem pateat Jobus, sed hoc capite a v. 11. ad hunc ipsum usque v. 31. vix aliud occurrat genus loquendi. Prior ejus hæc est pars ex Græca versione

Πᾶν δὲ ΠΛΟΙΟΝ συνελθὸν ὃ μὴ ἐνέγκῃ μίαν βυρσαν ὀρθὸς αὐτῷ,

Omnis NAVIS *conveniens una non adfert unicum corium caudæ ejus,*

Altera vero huic respondens

Καὶ ἐν ΠΛΟΙΟΙΣ ἁλιέων (sc. ὐκ ἐνέγκωσι) κεφαλὴν αὐτῷ

Et in NAVIGIIS *piscatorum* (non adferunt) *caput ejus.*

Sensus horum verborum est *nulla navis aliquid adfert de Leviathane*, binis hujusmodi propositionibus expositis, antecedentibus a v. 11. similibus. Principalis igitur sermo est de *navibus*, adeoque necesse est ut vox ejusdem significationis ingrediatur *utramque* propositionem. Proinde, uti in prima πλοῖον indicat *navem* vel

vel *classem*, sic in altera צלצל rectissime Græcos per πλοῖον traduxisse, compertum est. Nihil hoc argumento, si recte capiatur, est liquidius, quodque magis elegantiam expositionis Græcæ arguat. Eaque observata interpretandi methodo, innumeris SS. litterarum locis, lumen accendi posse, persuasissimum unusquisque habeat. Ea enim loquendi ratio per universum sacrum Codicem Hebræamque linguam dominatur. Et hanc quoque in illis verbis, quæ præceduntin hoc loco, התמלא בשכורת עורו, quæ LXX ita, ut diximus, transtulerunt, quærendam esse nulli dubitamus, quamquam, quomodo inde elici queat, nondum ob difficultatem Jobæi sermonis, quæ passim occurrit, nobis constet, vel ulterius nunc quidem inquirere allubescat.

§. 4. Quandoquidem itaque sententiam nostram firment roborentque (I) *vetustissimorum* elegantissimorumque interpretum *Græcorum* expositiones, a quibus haud tuto nec sine periculo erroris recedimus, iisque alii ut *Chaldæus*, *Arabsque* &c. adstipulentur Cap. I: nec minus (II) per quam commode hæc illustrari possit interpretatio ipsa notione *Cymbali* in צלצל haud repudiata, quod aliquando *vasis* nomina cum *navigiis* fuerint *communia*, ipsaque *instrumentorum musicorum* aliis concessa rebus per quam multis ob *formæ* similitudinem Cap. IV. Præterea (III) vox צלצל cum alia סלסל

ita conveniat, ut exinde notio *papyracei navigii* (de quibus loca interpretamur) perquam concinne erui & explicari possit. Cap. II. Dein (IV) vocabulum כנפים *vela* navis indicet, adeoque צלצל illi junctum expositionem *navigii* deposcat Cap. V. Uti & (V) interpretatio rectior vocis דוגים apud Jobum eandem de *navi piscatoria* mirifice adjuvet & illustratum eat Cap. VI. Porro (VI) sequentia apud Prophetam nomina harum navium כלי גמא *vasorum papyraceorum*, & מלאכים קלים *levium nuntiorum*, simile in prima thesi vocabulum significationeque par, quod צלצל & haud aliud est, postulent Cap. II: §. 4-6. Cap. VII: §. 1. Æque vero (VII) rationem *hemistichiorum* apud Jobum ex versione *septuaginta* arguat, ut cum in *prima* propositione de *navi* agitur, ita & in *subsequente* de eodem *subjecto* sermo sit. Cap. VII. §. 3. Denique cum (VIII) ipsissimum nomen צלצל significatione *navigii* & ad alios populos transierit, velut *Phaseli* nomen, quod cum illo idem est, abunde docet, Cap. III. examini eruditi lectoris relictum cupimus, num alii explicationi, ac quidem *navigii* his in locis, sartis tectis bonæ interpretationis regulis, locus concedi possit.

VIII. *THEO-*

VIII.

THEODORI HASÆI,

Ad præcedentem dissertionem DE

ארץ צלצל כנפים

ad Es. XVIII: 1.

SUPPLEMENTUM,

in quo ÆGYPTUM ea phrasi denotari ostenditur, & de re *ÆGYPTIORUM navali* non pauca notabilia adducuntur,

ARGUMENTUM.

Introductio §. 1. Dicendorum summa & Ordo. §. 2. Cur I. *Aegyptus* potuit vocari *Terra navium;* Ob gloriam (A) rei navalis, quam nacti sunt Ægyptii; Iis *inventio navium* tributa §. 3. *Classes* eorum *navales* temporibus vetustissimis §. 4. recentioribus §. 5. Navium Ægyptiacarum *splendor* & *magnificentia*; præcipue Alexandrinarum. Act. XXVII: 37, 38. §. 6. *Nautæ* illorum suæ artis peritissimi §. 7. Causæ cur tanta rei navalis gloria floruerunt Ægyptii, bina est. Prima *Piscatus.* Qui illis valde frequens erat, ob piscium abundantiam §. 8. Altera *Commerciorum* commoditas, qua omnibus aliis populis antestabant. §. 9. Hinc navium apud eos *copia* §. 10. Quia (B)

tota, quanta erat, *mare* olim credebatur fuisse, si vera traditio §. 11. Quod in annuis inundationibus *tota* quasi *mari* cooperta potuit *navigari*. §. 12. Quia (C) tota *fossis* alveisque innumeris distincta navibus *ubique* viam aperiret. Cur *equi* in Ægypto desierint esse. §. 12. Quia (D) in sacris illorum frequentissima navigiorum mentio §. 14. Navigium *Isidis*, Tabula Isiaca; Navis *Osiridis* §. 15. ISIS navigiorum præses. Apud Romanos quoque inter *tutelas* navium. *Pelagia* dicta. Naves dictæ ab *Iside*. §. 16. Cur II. Ægyptus dicta *terra* צלצל, sive *phaselorum*. Quia *parvulis* navigiis & lembis utebantur. Illustratur vs. 2. צירים pro סרים §. 17. Cur III. dicta terra navium *alarum*, sive *alatarum* i. e. velivolarum. *Alæ* notant *Vela* apud Græcos §. 18. Latinos. Mare velivolum, Avium *pennæ* dictæ *vela* §. 19. Ex hac observatione multæ fabulæ illustrari possunt, v. gr. Daedali & Icari. & Pegasi, & Pelopis. Draco alatus §. 20. Adscribuntur autem Ægypto כנפים i. e. *vela*, quia (α) iis velorum inventio tribuitur. *Isis* velificatione primum usa est §. 21. Quia (β) Phaseli Ægyptiorum erant *velis* suis instructi. §. 22. Erant illa ex Byblo facta, instar alarum. Anne Es. VII: 18. Ægyptii vocentur *muscæ*? §. 23. Adducuntur alii, qui locum hunc illustrarunt §. Nostra interpretatio suboluit etiam aliis. §. 16. Cl. Vitringæ contra illam argumenta examinantur & diluuntur. §. 26.

§. I.

SUperior dissertatio exhibuit tibi veram binorum divini codicis locorum, de quorum genuino sensu diu multumque disputatum fuit, interpretationem, iis si quid judico, munitam argumentis, quæ

quæ uniuscujusque non nimis morosi Lectoris adsensum facile impetrabunt. Neque ego dissimulo, me iis lectis ponderatisque, derelicta, quam alias fovebam, sententia in eam pedibus ire fuisse coactum. Atque ita videri posset & Frater meus, ὁ νυν ἐν ἁγιοις in hac quoque caussa egregie partibus suis esse defunctus, nobisque, ne aliquid adderemus, feciisse ferias. Attamen UNICUM est quod ab eo, quoad illum Esaiæ locum, (nam de altero Jobi in mea de Leviathane Jobi disquisitione quædam adhuc monendi suppeditata fuit occasio) omnino non prætermittendum fuisse, mihi quidem videtur. Neq; enim satis est, ostendisse צלצל כנפים POSSE illam interpretationem de *navibus alatis* sive velivolis pati, sed si illam exceptionem cavillis non velis expositam, id quoque demonstrandum, regioni illi, de qua toto hoc capite sermo est, quamque Dominus alloquitur, appellationem ארץ צלצל כנפים i. e. *terræ navium alatarum* sensu privo & pleno convenire. Id autem a Fratre meo fieri non poterat, quod in ea esset opinione, sermonem divini vatis, non ad Ægyptum, sed ad longum illum terrarum Africæ tractum, qui ab Astaboræ, Astabique cum Nilo confluentiis, ad extremum Africæ promontorium extenditur, pertinere. In eo autem cogor ab eo sententiæ facere divortium, qui hoc vaticinium non ad aliam regionem, quam ÆGYPTUM, spectare persuasissimus sum.

Ea enim, quæ pro sua sententia adduxit cap. VII: §. 2. facillimum mihi foret, diluere & id probare liquido, ea omnia in Ægyptum quadrare (a) probe, quæ illi aptari posse dubitat, si id nunc agendum esset, & nisi optimus, maximusque Esaiæ interpres, qui nunc adscriptus est cœlitibus, solide id omnino, & erudite in suo ad hunc locum commentario præstitisset.

§. 2. Non quidem nunc severa lege examinabo, num & illa phrasis sensu quodam dilutiori Æthiopiæ convenit, & num & illa navibus suis abundarit. Id enim hi ajunt, alii negant. Neque id ad rem definiendam satis est. Etenim non inde colligas illam κατ ἐξοχην, & Ἀλαζονικως vocatam fuisse *terram alatarum navium*, si vel & ejus incolæ navigiolis suis usi essent frequenter. Cum nulla sit omnino provincia, vel fluminibus distincta, vel cujus oras mare alluit, in qua non ab antiquissimis temporibus, navium frequens usus fuerit. Si itaque digito quasi monstrare, & audacter dicere velis: HÆC illa EST, quæ Esaiæ commemoratur, *terra navium alatarum*, talis dubio procul investiganda, quæ circa navium usum

(a) Inter illa haud postremum est, quod vs. sequenti legitur, ubi Ægyptii vocantur גוי קי קי, *gens* Κὰν, Κὰν. Illam autem phrasin quam, quod præfiscine dixero, a nullo video esse intellectam, Ægyptiis, & quidem ita convenire, ut nulli gentium alii, ostendam, ubi Deus annuerit, proxime.

uſum ſingulare aliquid, ac maxime commemorabile habet, quod in ulla regione alia haud inveneris. Quod ſi itaque talis indagari poteſt, cui nauticæ rei gloria præ aliis omnium conſenſu tribuenda, quæ tota, quanta quanta eſt, nullo angulo excepto, navibus impleri, ac perreptari poteſt, quæ denique inter ſacra ſua navigium, & tale quidem navigii genus, quale heic deſcribitur habet, vix dubito, quin illam heic indicari credendum ſit. Talis autem fuit Ægyptus & præter Ægyptum nulla terrarum orbis provincia alia. Id autem, ut in aprica luce collocem, oſtendam (I) Ægypto plane aptam eſſe denominationem *primo terræ navium*. II. *Tum* terræ צלצל ſive talium navium quales hæc vox denotat, i. e. parvulorum navigiorum. III. *Denique* צלצל כנפים i. e. navicularum velis ſuis inſtructarum. Quod ubi evicero, non ſolum illorum opinionem, qui de hoc regno locutum eſſe Jeſaiam arbitrantur, haud parum corroboravero, ſed & id, ut ſpero, perſuaſero aliis, explicationem phraſeos illius, quæ dabitur, huic loco perquam apte convenire, immo divinum vatem de Ægypto locuturum, non politiori vel pulcriori potuiſſe uti dicendi ratione, quam Ægyptum ארץ צלצל כנפים, *terram velivolarum navicularum* ſive *Phaſelorum* appellando.

§. 3. Quod enim I. primum adtinet, quantam (A) gloriam ex re navali fuerint Aegyptii prae aliis etiam cultiſſimis orbis nationibus nacti, ex non unis conſtat rerum documen-

tis. Quidam Ægyptiis primam navium inventionem tribuere. Id tamen ego prorsus incertum ac dubium esse existimo. Neque enim nescio longe plures esse, qui aliis, Phœnices præcipue incolis eam laudem adsignant. *Nave tamen primum in Græciam ex Ægypto Danaum* (qui tempora Judicum adtigit) *advenisse, cum antea ratibus navigabatur* Auctor est Plinius L. VII. c. 56. Eum omnium primum navem dictam πεντηκοντορον fabricasse testatur Apollodorus in Biblioth. L. II. c. 5. Sesostrem primum πλοιοισι μακροις usum, iisque Arabicum sinum prætervectum Herod. L. II. c. 102. & Diodorus L. I. p. 50. commemorant. *Isidem* primum *rate velificasse*; & *Minervam primam Danao navem biproram ædificasse, in qua Ægyptum fratrem profugerit* scribit Hyginus fab. 277.

§. 4. Hoc certius est classibus eos usos ab antiquissimis temporibus instructissimis. De Sethosi & Amenophi, vetustissimis Ægypti Regibus, quos coævos Mosi faciunt, id testatur Manethon apud Josephum L. I. contra Apionem. Sesostrim Classe navium CCCC. in extremos fines Indiæ penetrasse citato loco refert Diodorus. In classe Xerxis ex Ægypto petitas esse naves CC. idem habet L. XI. p. 2. Cambysen ad Polycratem misisse rogatum in auxilium στρατου ναυτικου, atque hunc illi XL. triremes misisse narrat Herodotus L. III. c. 44. Idem Apriem cum Tyriis, rei nauticæ laude in pri-

primis florentibus navali certamine dimicaſſe L. II. c. 161. refert. Et quam magnæ ornatæque vetuſtiſſimis illis ſæculis fuere aliquando naves, vel illud te docere poteſt navigium, *cedrinum, CCLXXX. cubitos longum, quod extrinſecus auro, intrinſecus argento obductum compaginaſſe Seſoſtrim* refert Diodorus L. I. p. m. 52.

§. 5. Et, quod propiora tempora adtinet, quantum valuerint Ægyptii navibus, id ignorare nequeunt, qui hiſtoriam bellorum, quæ Reges illorum cum populo Romano geſſerunt, non ignorant. Inprimis, autem, ad quantum faſtigium rem nauticam eduxerint reges Ægyptiorum, qui poſt Alexandrum M. Ægypti potiti ſunt, Ptolemæi, Antigonus, Seleucus ex illorum temporum hiſtoria ſatis conſtat. Audiamus vel unicum Appianum, in præfatione. Is *Regibus ſuis* (erat autem Alexandrinus) *actuariarum, & id genus minorum navium MM. longarum vero ab hemioliis usque quinqueremes MD. inſtrumentum longarum duplum, thalamegorumque auratis puppibus roſtrisque, quas ad oſtentationem in bello ipſi Reges conſcendebant DCCC.* En numerum navium regum Ægypti quater mille & trecentarum, cui ſimilem dubito an ullus unquam Regum vel poſſederit olim, vel nunc poſſideat. De Ptolemæo Philadelpho teſtatur Athenæus L. V. p. m. 203. *eum NAVIUM MULTITUDINE SUPERASSE REGES OMNES. Ampliſſimas apud eum fuiſſe ordinum triginta, duas, ordinum*

viginti, unam, quatuordecim quatuor, duodecim duas, undecim ordinum quatuordecim, novem ordinum triginta, septem ordinum triginta septem, sex ordinum quinque, septendecim quinqueremes quadriremes, triremes, & hemiolias duplo plures; navigia vero, quæ ad insulas dimittebantur suæque ditionis urbes, plura quam quatuor millia. Antonius cum teneret Ægyptum, cum Cæsare conflicturus maritimo prælio, illi opposuit νηες μαχιμους ὑπ ελαττους πεντακοσιων, ἐν αἰς ὀκτηρεις πολλαι ηαὶ δεκηρεις, κεκοσμημεναι σοβαρως ηαὶ πανηγυρικως teste in ejus vita Plutarcho p. 944. Audiamus de his Florum L. IV. c. 11. *Nobis quadringentæ amplius naves, ducentæ non minus hostium. Sed numeram MAGNITUDO pensabat. Quippe a senis in novenos remorum ordinibus; ad hoc turribus atque tabulatis allevatæ, castellorum & urbium specie, non sine gemitu maris & labore ventorum ferebantur.*

§. 6. Si quis autem avet cognoscere, quanta arte, quantaque cum magnificentia Ægyptiorum reges naves suas fabricaverint subinde, is omnem fere fidem superantia, de nave Philopatoris τεσσαρεσκοντηρη longa CCLXXX. cubitos, lataque ἀπο παροδε ἐπι παροδον, hoc est, ab uno latere in alterum XXXVIII. in qua nautarum CCCC. remigum MMMM. militum circiter MMM. multitudo fuit ἐκπληττομενων ἁπαντων, ὑ, τε πληθη μονον, ἀλλα ηαὶ τα μεγεθη των ἐργων, *obstupescentibus cunctis non ob numerum modo hominum, verum & molem operis* con-

consignata literis leget apud Plutarchum in Demetrio T. I. opp. p. 910. & multo exactius & curiosius apud Athenæum citato loco. Conferet pariter, quæ idem Athenæus habet de ejusdem Thalamego, qua in Nilo navigabat, cujus longitudo fuerit dimidii stadii, latitudo major, quam cubitorum triginta, altitudo parum a quadraginta cubitis aberat. Confer de illa Palmerii exercit. ad scriptores Græcos p. 170. sqq. Miri quoque artificii navis fuit, qua in mari rubro mercaturam facientes usi sunt Ægyptii, quam describit Philostratus de vita Apoll. L. III. c. 35. Ecquis porro in veterum scriptis tam hospes est, ut de insigni Alexandrinarum navium multitudine & magnitudine nihil inaudiverit? Notabilis est descriptio navis, quam exhibet Lucianus (b) in dialogo πλοιον, ἡ εὐχαι, Opp. p. 493. quamque vocat ὑπερμεγεθη ναυν, καὶ περα τε μετρε, *supra modum ac mensuram ingentem*, quæ Isidis nomen tulit, cujus longitudo erat cubitorum CXX, latitudo circiter XXX. altitudo XXIX. in qua tanta nautarum multitudo, quæ cum exercitu comparari poterat, quæque tantum fru-

(b) Egregie hunc Luciani locum illustravit, emendavitque Frater meus ὁ ἐν ἁγιοις, in differt. *de navibus Alexandrinis Apostolum Paullum in Italiam deferentibus*, ventilata publice a. 1716. Cap. I. §. 6. sqq. ubi & plura de illis navibus Alexandrinis memor abilia invenies.

frumenti poterat vehere, quantum in annuum victum omnibus Atticæ incolis sufficeret, & in qua omnia θαυμασια esse videbantur. Ipse tamen ibidem p. 497. vel illa navi vel καλλιω και μειζω πλοια commemorat, Plinius describens navem, quæ ex Ægypto obeliscum Romam traduxerat, addit, *Illa nihil AD MIRABILIUS visum in mari certum est* L. XVI. c. 40. &, illam *omnibus, quæ unquam in mari visæ sunt, MIRABILIOREM* appellat L. XXXVI. c. 9. Et, vel ex ipsis sacris literis illorum magnitudo navigiorum colligitur. Illa enim Alexandrina navis, quæ Apostolum in Italiam detulit, præter magnam frumenti copiam, quam continuit, ducentos & sex supra septuaginta homines vehebat, uti ex Act. XXVII: 37, 38. colligere est. Quanta autem multitudo navium, quæ ex Ægypto solvebant quotannis, fuerit, vel ex ingenti atque incredibili annonæ variarumque aliarum mercium copia, quae ex Alexandrino portu in Italiam, atque alias Europæ atque Asiæ provincias devehebatur, proclive est conjigere. Inter hæc autem quamvis complura sint, quæ tempora spectent, quæ Esaiæ ætatem sequuta sunt, sunt tamen etiam complura, quæ illam vel anteeunt, vel comitantur; & hæc ipsa ejus sunt generis, ut satis demonstrent, Ægypto adexcolendam rem navalem, vix regionem fuisse aptiorem.

§. 7. Id quod ex eo quoque confirmatur, quod nautæ Ægyptiorum navigandi peritiæ lau-

laude præ aliis nationibus maxime efflorescebant. Ita ille, qui illam, cujus modo ex Luciano meminimus, navem gubernabat, vocatur θαυμασιος την τεχνην, και τα θαλαττια σοφος *in arte sua mirabilis, & rerum marinarum Proteo peritior.* Apud Philostratum l. c. navis Ægyptiacæ directores dicuntur ἀειροι και δεξιοι ναυται. Insigne in hanc rem est testimonium Hirtii de bello Alexendrino p. m. 361. qui Alexandriæ *urbis & regionis maritimæ* vicinæ incolas vocat homines *NAUTICOS, quotidianoque usu a pueris exercitatos,* eosque narrat omni *studio ad parandam classem incubuisse, & ita ad NATURALE ac DOMESTICUM bonum refugisse.* Nota quoque vox est veterani illius militis, Antonio, teste Plutarcho T. I. p. 945. acclamantis. ο Αυτοκρατορ, ΑΙΓΥΠΤΙΟΙ και Φοινικες εν θαλασσῃ μαχεσθωσαν, ἡμιν δε γην δος. *Imperator ÆGYPTII & PHOENICES in mari prælientur, nobis permitte terram.* Atque hinc factum est, ut & extranei in classibus suis instruendis uterentur Ægyptiorum nautarum opera. De Xerxe ac Cambyse id jam visum est. Semiramidem cum Indiæ rege maritimo prælio decertaturam, quod, ut putant, omnium antiquissimum fuit, *navium habuisse longarum, rostratarumque tria millia, numerum autem nautarum tanto navium numero parem collegisse ex Syria, Phœnice, ÆGYPTO, Cypro ac Cilicia* testis est Suidas. Unde & ars navigandi

di vocatur παιδεια Αιγυπτ apud Euripidem in Troad. Act. I. vſ. 127.

§. 8. Neque eſt, quod hæc quisquam miretur. Ut enim nunc non dicam nullam fuiſſe regionem, tam commodam navigationi, quam Aegyptus, quæ tota fluviis foſſisque erat diſtincta, de qua re mox pluribus agetur, id notatu dignum eſt in primis, ipſas illas artes, quæ potiſſimum navium frequentem uſum deſiderant, in Aegypto viguiſſe inſignem in modum, PISCATIONEM & MERCATURAM. Abundabat enim piſcibus, quod vel diſcimus ex Ex. VII: 18, 21. Ita Iſraelitæ in deſerto palantes cum dolore recordabantur *PISCIUM, quos gratis in Aegypto comederant* Num. XI: 5. Illiusque incolas *ex piſcibus vivere vel ad ſolem areſactis, vel ſalſugine conditis* auctor eſt Herodotus L. II. p. 133. Diodorus L. I. p. 31. *ſecundum poſt herbas radicesque victum Aegyptios habere piſcium uſum,* ΠΟΛΛΗΝ δαψιλειαν παρεχομενης ποταμ *MAGNUM EORUM COPIAM præbente fluvio, præſertim cum poſt incrementum diminutus exſiccatur* ſcribit Strabo L. XVII p. 823. Ιχθυες, ait, ἐν τῳ Νειλῳ ΠΟΛΛΟΙ μεν και ἄλλοι, χαρακτηρα ἰδιον ἐχοντες και ἐπιχωριον; *piſces in Nilo ſunt PER MULTI & varii, qui propriam quandam & regioni convenientem formam habent;* eorumque ibi bene longum Catalogum exhibet, id quod pariter fit ab Athenæo L. VII. Deipnoſ. Herodotus L. II. c. 49. atque Diodorus L. I. p. 48. narrant *fiſco regio*

quo-

quotidie esse adjectum talentum ex piscatura, quæ in stagno Mœridis exercebatur cum efflueret aqua, cum autem in lacum influeret, viginti minas. Atque hoc ita *piscibus*, quorum species XXII aluisse perhibetur, *affluisse, ut*, προσκαρτερουντες ταις ταριχειαις, ὀντες παμπληθεις,, *qui perpetuæ illius salituræ operam dabant, quorum ingens erat numerus vix operi sufficerent.* Id quoque commemorabile est, quod Plut. in lib. de Iside & Osiride p. 353. narrat, id obtinuisse moris inter Aegyptios, ut *eorum unusquisque primi mensis die nono ante fores ædium suarum asso pisce vesceretur. Solis sacerdotibus abstinentibus. Piscatores* quoque *Aegyptios* insigni loco celebrat Esaias Cap. XIX, qui de Aegypto vaticinium complectitur, ubi vs. 8. *Mœrebunt PISCATORES, & lugebunt omnes, qui HAMUM CONJICIUNT in rivum, & qui EXTENDUNT RETE in superficiem aquarum.* Tribus his piscatorum nominibus Alexandrini addunt quartum ἀμφιβολεις. Navibus itaque opus erat Aegyptiis, piscatum feliciter exercituris. Et ita se rem habere etiamnum in Aegypto των ὁδοιπορικων scriptores confirmant.

§. 9. Præterea ingenti ac fere innumerabili navium copia uti necesse erat Aegyptios ob COMMERCIA, quæ longe lateque exercebant. Nulla enim erat regio quæ tam commodo situ ad mercaturam faciendam gaudebat. Ab omni fere latere cincta erat mari, unde multis veterum insula credita. Unde

de Strabo L. p 32. quærit. Τι δ' ἄλλο Αἰγυπτος ἐστι πλην ποταμια νησος, ἡν Ἐκικλυζει το ὑδωρ; *Quid aliud est Aegyptus quam fluvialis insula, quam aqua inundat?* Erat insuper Aegyptus, quasi orbis tum cogniti umbilicus, ac centrum, tres ejus partes æquali veluti intervallo attingens. A septentrionali plaga alluebatur mari mediterraneo, & inde in Europam, & omnem septentrionis tractum iis facilis erat accessus. Sinistrum latus sinus claudebat Arabicus, ex quo in late patentia Africæ littora, in Arabiam, Indiam, ad Seres usque, & Chinenses, atque his vicinorum marium insulas dabatur excursio, unde omnes Orientalium regionum divitiae in reliquas orbis partes Aegyptiorum ope diffundebantur. Ab austro contigua erat vastis Aethiopiæ terris. Mediaque secabatur Nilo, fluviorum principe, cujus, & alveorum suorum adminiculo merces omnis generis facili negotio undequaque apportatæ, per orbem dividebantur. Jam ab antiquissimis temporibus Osiridis adeo, & Sesostris negotiationum laude floruit, atque in Indiam atque ad ipsos Chinenses, quorum si non tota natio, magna tamen pars Aegyptiis videtur originem suam debere, illæ extensæ sunt. At earum studium ad summum evectum fuit culmen, exstructa Alexandria, quam suo adhuc tempore Strabo vocabat μεγιστον ἐμποριον της Οικουμενης

μενης: Neque paucæ ejus urbes aliæ, Thebæ ἑκαλομπυλη, Thonis, (quam Diodorus appellat το παλαιον της Αιγυπτε εμπορειον) Memphis, Canopum, Naucratis, Μυος ὁρμος; i. e. Murium portus, Coptos, Dioſpolis, Ptolomais, Peluſium, Berenice inter emporia celeberrima numerabantur. Et quis neſcit, quot claſſes frumentariae, quot commeatus, quot ἐμβολαι, quot σιτοπομπεια ſingulis annis in Græciam, praecipue Romam ac Byzantium fuere ablegata? Nimium haec nos extra limites, quos poſuimus nobis, eſſent abductura, ſi ea extendere vellemus latius. Qui de Aegyptiorum commerciis plura ſcire deſiderat, is feret operae pretium, ſi legerit Illuſtris Huetii libellum de *veterum mercatura*, ante annos aliquot Gallice, & ipſo hoc anno Belgice editum cum paſſim, tum præcipue Cap. XLVIII.

§. 10. Unusquisque autem ex his abunde perſpiciet, quanto Aegyptiis opus eſſe debuerit navium numero. Unde Herodotus L. II. p. m. 124. ubi illas deſcripſerat, addit, Ἐσι δε σφι τα ΠΛΟΙΑ ταυτα ΠΑΗΘΕΙ ΠΟΛΛΑ και ἀγει ἐνια πολλας χιλιαδας ταλαντων; *Horum navigiorum INGENS APUD ILLOS EST COPIA, quorum quædam ferunt multa millia vehere talentorum pondo.* Unde nollem excidiſſe doctiſſimo Viro N. *Fullero*. Miſcell. L. IV. c. 10. *Aegyptios nunquam maritimarum expeditionum & luſtrationum nomine celebratas, aut ulla earum ſcientia claros fuiſſe habitos.* Ex adverſo ex his

optime rationem puto peti posse, ob quam Aegypto datum fuit nomen ארץ צלצל, *terrae navis*, quae explicanda nobis erat.

§. 11. Sed illi succenturiabo (B) aliam, quae sane non minoris est momenti. Videlicet; Nullus est terrae angulus, qui ita totus, quantus, quantus est, operiri potuit navibus sicuti Aegyptus. Antiquis enim traditionibus si habenda est fides, quae nunc Aegyptus est, prisco aevo

Grande mare, & tellus uullum discrimen habebant,
Omnia pontus erant, deerant quoque littora ponto.

Ex aggestione enim Nili κατα τας ἀναβασεις την ἐκ της Αιθιοπιας ἰλυν καταφερονΘ, *per excessus suos limum ex Aethiopia afferentis* excrevisse illam regionem, & cum antea totum mare esset, factum fuisse continentem scripserunt. Unde quidam illam ποταμοχωσον, alii γην ἐπισητον, nonnulli τε ποταμε δαρον vel ἐργον, plerique Oceanum ac totam θαλασσαν, nominaverunt. Vide Diod. L. I. p. 17. & L. III. p. 144. Strab. L. I. p. 30. & 32. & L. XII. p. 536. Plutarch. Opp. T. II. p. 367. Herod. L. II. c. 5. & 10. Aristot. Meteor. L. I. c. 14. Senecam nat. quaest. L. VI. c. 25. atque alios, ut & ex recentioribus Brodaeum Misc. L. III. c. 5. & τον παν Bochartum in Phaleg. L. IV. c. 24. Quae

si

si vera essent, facile vides, quomodo illa regio, cum ubique locorum in ea navibus locus esse posset, *terra navium* potuisset nominari. Sed cum incerta valde, & dubia ea narratio sit, ut nonnulli ex veteribus, & citato loco Bochartus ostendere, ad recentiora tempora descendendum est.

§. 12. Videlicet, notum est, iis quoque, quae nondum aere lavantur, Nilum singulis annis excrescere, & ripis superatis totam regionem undis suis obruere, fuisse solidam ut ea ultra sex menses integros *mari* similior videretur, quam terrae; totoque, quanta erat, navibus arari potuerit. Sic Herodotus scribit L. II. c. 55. *Quum regionem supergressus est Nilus, solas urbes apparere, eatenus extantes, ut insulis maris fere similes videantur; COETERA enim Aegypti PELAGUS fieri, ipsasque urbes solas exstare. Nec jam hoc contingere per alveum fluminis, sed* διὰ μέσης τῆς πεδιάδος, *per mediam planitiem.* Heliod. in Aethiop. p. 112. Ὀργᾶται ὁ Νεῖλος, καὶ ποταμὸς εἶναι οὐκ ἀνέχεται, ἀλλὰ κατεξανίσταται ζῆς ὀχθης, καὶ ΘΑΛΑΣΣΑΣ τὴν Αἴγυπτον, τῇ παρόδῳ γεωργεῖ τὰς ἀρούρας. *Superbit Nilus, nec se fluvium esse patitur, sed effunditur extra ripas, & eluvione tanquam mari quodam Aegyptum operiens adventu suo foecundata agros.* Cicero L. II. de natura Deorum; *Aegyptum*, inquit, *Nilus irrigat, & cum tota aestate obrutam oppletamque tenuerit, tum recedit* &c. Ulpianus quoque L. I. §. ripa ff. de fluminibus;

Nilum incremento suo operire Aegyptum testatur. Plin. L. V. c. 10. Certis diebus auctu magno per *totam spatiatur Aegyptum*, *foecundus innatat terrae*. Hinc Nilus vocatur *mare*, uti & Greg. Nazianz. Or. 24. de Nilo eum appellat, πτυμον πελαγιζοντα, uti Seneca natur. quaest. L. V. c. 2. *in faciem lati ac turbidi MARIS stagnare* eum scribit. Nimis elegantia ejusdem Senecæ verba sunt, quae paulo post addit, quam ut hic omitti debeant; *Illa facies pulcherrima est, cum jam se in agros Nilus ingessit. Latent campi, opertaeque sunt valles*; *oppida insularum modo exstant. NULLUM IN MEDITERANEIS NISI PER NAVIGIA, COMMERCIUM EST. Major est laetitia gentibus, quo minus terrarum suarum vident. Sic quoque cum se ripis continet. Nilus per septena ostia in mare emittitur, quodcunque elegeris ex his, MARE EST.* Addam adhuc notabilem atque huc apprime facientem Achillis Tatii locum, eumque Latine, ut chartae parcam. Ita ille L. IV. p. 246 *Nilus NAVIGATUR, bibitur, ARATUR. Est enim iis Nilus omnia, nempe fluvius, TERRA, MARE, palus: admirationeque omnino dignum est, eodem in loco navim & ligonem, remum & aratrum, temonem & tropaeum* (rectius lege cum Salmasio κρωπιον, quæ falcem notat lignariam) *nautarum & agricolarum casas, piscium & boum cubilia spectare: Nam, qua navem egisti, illic sementem facis, rursus, UBI SEMENTEM FECISTI, ILLIC NAVEM AGIS;* & quæ sequuntur. Tum enim navi-

navigiolis vagabantur ubique, quo alludit Virgilius L. IV. Georg. v. 287.

Nam, qua Pellaei gens fortunata Canopi
Accolit affuſo ſtagnantem flumine Nilum,
Et CIRCUMPICTIS VEHITUR SUA RURA PHASELIS.

& Lucan. L. IV. v. 135.

-- *cum* TENET OMNIA NILUS,
Conſertur Bibula Memphitis cymba papyro.

Aut hinc edocebere, quid ſit *terra navium*, aut aut nulla re alia.

§. 13. Accedit tamen & hoc, (C) quod illa regio fluminibus ſuis, (unde Strabo L. XVII. p. 789. vocat ποταμιον) tot Nili oſtiis, innumerisque alveis, foſſis, & paludibus eſſet diſtincta, in qua re nulla alia cum ea comparari poſſit, quam fortaſſis, ille orbis ocellus, Belgica. Erant autem illæ vel a Nilo excavatæ, vel hominum arte & labore factæ. Audiamus rurſus Tatium Ægyptium. Ita ille adducto in loco pergit. *Nilo creſcente aquæ ac terræ contentionem videre licet, dum illa tantum terræ inundare, hæc tantum aquæ abſorbere nititur, pari utrinque victoria, neque enim, quæ ſuccumbat, diſcernitur. Nam terræ magnitudini aqua par fit, in ea vero regione, quam paſtores incolunt, multa ſemper reſidet. Nam cum eam omnem Nilus inundaverit, paludes efficit, quæ deinceps illo etiam abeunte remanent, minus quidem aquæ continentes per*

quos cum pedibus feruntur, tum etiam naviculis. Fossas autem manu jubente Sesostri factas describit Herodotus L. II. c. 108. *Illum*, scilicet ait, *gentes sub potestatem redactas adhibuisse, ut* διωρυχας τας νυν ἐουσας, ἐν Αιγυπτῳ, *ut fossas quae tum Aegypto erant, effoderent. Ab eo tempore*, pergit, *Aegyptus, quae omnis plana est, tamen inequitabilis & plaustris inhabilis extitit,* Αιτιαι δε τουτων αἱ διωρυχες γεγονασι ἐουσαι πολλαι, καὶ παντοιας τροπας ἐχουσι, *Causa illius rei fuerunt FOSSAE, quae ibi erant MULTAE, & OMNIA LOCA occupabant.* Confirmat eadem Diodorus L. I. p. m. 52. *Per OMNEM vero TERRAM Sesostris a Memphi ad mare, CREBRAS ex amni FOSSAS duxit, ut fruges per compendia & facile conveherent, mutuisque homines commerciis, & ubique locorum quiete, ac prolixa omnium commodorum abundantia fruerentur. Ante id tempus potissima fere Aegypti pars equorum & curruum agitationi patebat,* (c) *At postea,* Διὰ το ΠΛΗΘΟΣ των ἐν τῳ ποταμῳ διωρυγων, *ob MULTITUDINEM FOSSARUM ex fluvio diductarum, difficilis accessu facta est.* Inde Trogi epitomator L. II. c. 1. Aegyptum vocat, *tantis instructam molibus* (i. e. aggeribus) *TOT FOSSIS CONCISAM, ut cum*

(c) Ex his quoque Herodoti & Diodori testimoniis patet, quomodo fieri potuerit, ut cum antea equorum praestantissimorum, teste S. codice, ferax esset Aegyptus, illi deinde in ea vix fuerint reperti. De qua re consule Boch. Hieroz. p. I. L. II. c. 9. & Vitringam ad Es. XXXI: 1.

cum his recipiantur, illis arceantur aquae. Atque hae illae foſſae ſunt, *in quas Nilus exaeſtuat, quas oblimatas longa vetuſtate, militari opere deterſiſſe Auguſtum, ut feraciorem, habilioremque annonae urbicae redderet*, teſtatur Sueton. in Aug. c. 18. Sic in illa *inſula*, quam Nili oſtia faciunt, *multos eſſe alveos, & inſulas,* ὥϑ' ὅΛΗΝ γενεϑαι ΠΛΩΤΗΝ διωρυγων ἐπιδιωρυξι τμηϑεισων, *ut tota fiat NAVIGABILIS, foſſis aliis ſuper foſſas factis, quae tanta facilitate navigantur, ut nonnulli teſtaceis utantur ſcapbis* ſcribit Strabo L. XVII. p. 788. Atque haec ratio eſt, ob quam apud ipſum Prophetam noſtrum C. XXXIII: 21. vocetur מקום נהרים יארים *locus fluviorum, & foſſarum* enim notat Nilum, יארים notat foſſas, ſtagna, paludes, quibus irrigabatur Aegyptus, uti recte verterunt LXX. Ποταμοι καὶ διωρυχες. Atque hac quoque, cum liberum per omnem regionem tranſitum aperirent innumerabili navicularum agmini, inde quoque diſces, quomodo illa nomen commode *Terrae navium* potuerit ferre.

§. 14. Denique (D) illius denominationis ratio inde quoque arceſſenda eſſe videtur, quod in templis ſuis, ſacrisque caerimoniis, feſtivitatibusque navigia occurrerent frequenter. Seſoſtrim navigium illud ingens, cujus jam ſupra §. 4. meminimus, Deo, quem Thebaei colebant religioſiſſime, dedicaſſe auctor eſt Diodorus. Proficiſcebantur quotannis Aegyptii, maresque & feminae religionis

causa Bubastin, ubi Dianae fanum, magna cum pompa saltantes, & crotalis ludentes idque in *navigiis*, quorum sane oportet magnam fuisse copiam, cum iis veherentur praeter pueros ultra septingenta hominum millia, teste Herodoto L. II. p. m. 112. Similis huic fere est *ante omnia memorabilis turba eorum, qui ad festivos conventus per fossam Alexandria descendebant Canopum.* Ubi παση γαρ ημερα και παση νυξ ΠΛΗΘΥΕΙ των ἐν τοις ΠΛΟΙΑΡΙΟΙΣ, καταυλουμενων και κατερχουμενων, ἀναιδην μετα της ἐσχατης ἀκολασιας, και ἀνδρων, και γυναικων, *illa IMPLETA* erat *tota die & tota nocte NAVIGIOLIS viros ac mulieres vectantibus, qui extrema cum lascivia cantabant, ac tripudiabant* referente Strabone L. XVII. p. 801. Quid memorem illam navem, quam per alveum Nili singulis annis deducebant, in qua erat statua Agathodæmonis? Quid dicam de *navi, quae Argo Graecis dicitur, navis Osiridis imagine, in honorem ejus inter sidera* relata, cujus meminit Plutarchus? aut simulacro illo hominis conscendentis navigium crocodilo impositum, quo solem repræsentabant, cujus explicationem Eusebius exhibet? aut Iside ἐν βαριδι παπυρινη *in lembo papyraceo paludes Aegyptias pernavigantem* eodem Plutarcho teste?

§. 15. Quid vero memorem famosam illam ISIDIS BARIN, qua illa vecta per paludes Osiridis a Typhone lacerati disjecta XXVI. frusta quaesivit & recollegit, vel qua arcam, in qua repositum erat Osiridis cadaver, ab urbe

By-

Byblo per mare tranſtulit in Aegyptum, cujus meminit Plutarchus in L. de Il. & Oſiride p. 257, 258. Quid illud omnium ſermonibus circumlatum ISIDIS NAVIGIUM, quod ei ſingulis annis *tanquam primitias commeatus*, ut loquitur Apulejus, *libabant*, dedicabantque Sacerdotes, quod *certo die*, (quem Kalendas eſſe Martias in veteri Kalendario notatum eſt) *celebrabatur* teſte Lactantio, quod ad ipſos Germanos noſtros, & nominatim Suevos, ſcriptore Tacito, qui ejus *ſignum in modum Liburnæ figuratum* ſcribit, transvectum eſt? Quis ignorat Apin, aut taurum Apis ſymbolum, curate quaeſitum, & inventum, & per XL. dies in urbe Nili ſaginatum, magna cum ſolennitate Navi thalamego impoſitum, Memphim, in Vulcani lucum devectum eſſe, ut ibi paſceretur, quem ritum commemorat Diodorus. Eccui non viſa eſt illuſtris illa tabula Iſiaca, quam docto commentario illuſtravit Laurentius Pignorius, in qua bini lembi Aegyptiaci cernuntur, in quibus bos Apis, cum Oſiride atque Iſide? Quid denique adducam navem illam, in qua ſolem vehentem pingebant Aegyptii, cujus curſus ſi ſiſteretur, tota naturae ſalus impediretur, *cui nautae ſeptem Germani tamen, ſuique conſimiles praeſidebant, in prora forma felis deſcripta, Leonis in Arbore, crocodili in extimo videbatur*, referente Euſebio & Martiano Capella.

§. 16. Neque id negligendum eſt, Iſidem

praecipuum *Aegyptiorum* Numen, *navigiorum* fuisse habitam praesidem. Ab ea inventas esse τον Νειλον ἀνιἀειν, καὶ τὰς ἀνεμους, ἐμπεμπειν, καὶ σωζειν τὰς πλεοντας, *Nilum attollere, ventos immittere, & servare navigantes* legitur apud Lucianum Opp. T. I. p. 188. Unde ejus effigies, tanquam tutela, atque insigne navium sæpe conspiciebatur. Ita navis Adimanti, quam Lucianum descripsisse jam vidimus habebat τὴν ἐπώνυμον τῆς νεως θεον τὴν ΙΣΙΝ ἑκατερωθεν, *utrinque Deam ISIDEM collocatam, a qua nomen quoque acceperat*, vocabatur enim πλοιον ἡ ΙΣΙΣ. Sicut & navis Romanorum id habuit nominis, ut patet ex inscriptione in portu Misenatium quam exhibet A. Pighras in Hero. prod. p. 367. & Jul. Caes. Lapaccius in Antiquitatibus Puteolanis (Italice editis Romae 1650. 8. p. m. 210. Illi solebant tabulas in templo suspendere, qui evaserant naufragium: Docet id scholiastes Juvenalis ad Sat. VII: 27.

Et quam votiva testantur fana tabella
Plurima, pictores quis nescit ab Iside pasci?

Ad haec verba ille; *Tabella* inquit, *quam naufragio liberati ponunt. Antiquitus enim solebant, qui naufragio liberati essent, pro voto pingere Tabellas, & in templo ISIDIS ponere.* Inde dicta est PELAGIA in inscriptione Romana apud Gruterum p. 312. n. 5. Vide nummum Commodi apud Tristanum T. I. p. 726. Ex quibus non

non a ſua ſolum natione, ſed & extraneis rei nauticae fuiſſe praefectam, colliges.

§. 17. Cum itaque radiis ſolis clarius appareat, quam emphatico ſenſu Aegyptus vocata ſit *Terra navium*, ita (II) & id quoque adtendendum eſt, vocem heic adhiberi rei, de qua agitur, apprime convenientem. Neque enim mentio fit των אניות vel צים vel ציים אדירים, ut Eſ. XXXIII: 21. quae voces notant naves, ſed τȣ צלצל, quam vocem parvum indicare navigiolum, inſtar corbis alicujus, aut quas illi, aut lintris erudite demonſtratum vidimus a Fratre meo το μακαριῳ, in diſſert. ſuae de hoc argumento capp. II. & III. Tales enim erant pleraque navigia, quibus utebantur Aegyptii. Quis enim eorum *phaſelos barides* θιβας *Thalamegos* πλεγματα βιβλινα, vel παπυρινα, vel διαπλοκινα, ὀςρακεινα, naves junceas, teſtaceas, papyraceas, ſcirpeas, ex ſpinis, & arundinibus contextas, ignorat; quae omnia erant valde exigua, & vix aliquot cubitorum? Deſcribit ea accurate Herodotus, dicitque eſſe ΠΛΗΘΕΙ ΠΟΛΛΑ, ut jam viſum. Vide de parvulis illis navigiis Fratris diſſ. c. III. §. 2, 3. Et adde illis Achillem Alexandrinum L. IV. p. 249. ubi de paludibus Aegypti loquens; Επι ταυτας αὐτοι και βαδιζȣσαι και πλεȣσιν, ȣ̓δε ναυς ἑτερα δυναται πλεειν ἀλλ ὁσον ἀνθρωπον ἐπιβηναι. Ἀλλα παντα ξενον τȣτο πȣ ὁ πηλος ἐμπιπτων κρατεῖ. Τοις δε πικραμεν και κȣφα πλοια, και ὀλιγον ὑδωρ αὐτοις

ἀρ-

ἀρκει, εἰ δε και πλεον ἀνυδρον εἰη, ἀραμενοι τοις νωτοις οἱ πλωτηρες το πλοιον φερουσιν ἀχρις ἂν ἐπιτυχωσιν ὑδατος; *Et illis & pedibus eunt, & navigant, sed non aliis navibus, quam quae singulos homines capiunt. Si enim fuerint aliae, facile limo impeditae retinentur. Quare iis parvula & levia navigia, & exiguae aquae sufficiunt, quod si autem aqua illis deficiat, sublatam humeris naviculam portant, donec aquam inveniant.* Et tales heic intelligendas phrases, quae v. 2, 3. annectuntur, ac priorem hanc illustrant, satis indicant; צירים וגו׳ (d) השלח בים. Ibi enim per כלי גמא *vasa papyri.* & מלאכים קלים nuncios leves nihil aliud, quam scirpea, papyraceaque illa Aegyptiorum πλοιαρια intelligenda sunt. Quemadmodum id quoque ex iis quae §. 14, 15. attuli, animadvertere licet, illas naves, quae in sacris Aegyptiorum ritibus memorantur, fuisse perexiguae magnitudinis scaphas.

§. 18.

(d) Difficilior haec vox est; vulgo vertitur, Legatos, Bochartus vertit *imagines.* Sed quid si dicamus ita scriptum pro סרים vel סירים, ס in literam צ cognatam, quod valde fit frequenter, mutata. Et sic verteremus, *Quae mittit principes* suos in *mare*, i. e. Nilum; Ita ut intelligantur Isis, Osiris, Adonis, Aegyptiorum Reges, principes, Deastri, quorum imagines magna solemnitate per Nili fluenta quotannis deferebant, vel principes sive Dynastae Aegyptiorum, quos per alveos Nili thalamegis suis vectabant, disertis verbis id testante Strabone.

§. 18. Vides itaque, quam ob causam Aegyptus vocata sit *terra navium*, & quidem *minutarum*, sed & nunc (III) dispiciendum est, cur appelletur *terra navium ALARUM*, i. e. velis instructarum. Quod antequam fiat, iis, quae a Fratre meo §. 5. & 6. Cap. V. adducta sunt, quibus probaret, *alas* indicare navium vela, nonnulla adjungam, quibus ea magis illustrentur, ac confirmentur. Insignis in hanc rem Hesiodi locus est Opp. & D. L. II. vs. 246.

Ευκοσμως ςολισας νηος ΠΤΕΡΑ ποντο ποροιο,
Recte contrahens navis ALAS pontigradae;

Ibi Moschopulus; τα πτερα της νηος, τουτεςι τα ιςια, ὁτι διὰ τουτων κινειται ἡ ναυς ἀνηπλωμενων, ὡς διὰ των πτερων οἱ ὀρνιθες. *ALAE NAVIS sunt VELA, quia per ea, quando expansa sunt, ita movetur navis, uti alis suis aves.* Et Proclus; Νηος πτερα, τα ιςια, τους σχοινους καὶ τα λοιπα; Aeschylus in Prometheo p. m. 31. ed. Rob. Stephani,

θαλασσοπλαγητα δ' ουτις, ἀλλος ἀντ' ἐμου
ΛΙΝΟΠΤΕΡ' ἑυρε νατιλων ὀχηματα. Quibus verbis gloriatur Prometheus se vehicula nautica primum invenisse, eaque Λινοπτερα. i. e. *lineis alis*, h. e. velis ex lino contextis instructa appellat. Ibi Scholiastes; Λινοπτερα, τα ἐχοντα τα αρμενα, ὡς πτερα. Simili translatione Hypatus Macedonius in epigrammate navem πολυπλανεων ἀνεμων πτε-

ρον

ρον appellasse monet Hieron. Columna in comm. ad Ennii fragm. p. 105. Unde recte Procopius Gataeus ad h. l. recte πτερυγας πλοιων τα ίσια καλει, ωτινας γαρ δικην, ε'μπιπτοντων αὐτοις των πνευματων αἰνηες διερχονται.

§. 19. E Latinorum choro adde Propertium L. IV. El. 6. vs. 46.

Nec te quod classis centenis remiget ALIS,

Nisi forte haec intelligere velis de remis, qui quoque *alae* dicuntur, uti Virgilius dixit *Remigio alarum* de qua phrasi vide inprimis. Meursium & Potterum ad Lycophr. Cass. vs. 35. Cassandra apud veterem Poetam, quem citat Cicero L. I. de divin. c. 31.

Jamque mari magno classis cita
Texitur, exitium examen rapit:
Advenit, & fera VELIVOLANTIBUS
NAVIBU' complerit manu littora. Ut &

Ovid. L. IV. de ponto el. 4. vs. 42.

Et freta VELIVOLIS non habitura rates.

Atque Virg. L. I. Aen. vs. 224.

Despiciens mare VELIVOLUM, terrasque jacentes,

Inque eo secutus est poetas veteres, Accium Ennium, Livium, quorum testimonia exhibet Macr. L. VI. Saturn. c. 5. ut & Lucretium qui L. V. 1441. ita canit.

Tum

Tum mare VELIVOLUM florebat navibu' pandis.

& L. IV. vſ. 390.

Quos agimus praeter navim, VELISQUE VOLAMUS.

Et jam olim Ennius apud Varr. L. VI. de L. Lat.

Cum procul adſpiciunt hoſtes accedere venteis,
Navibu' VELIVOLEIS.

& apud Macr. L. VI. c. 5.

Rapit exalto naveis VELIVOLAS.

Inſignem in hanc rem locum mox producemus §. 21. ex Caſſiodoro. Atque e contrario *alae* avium dictae quoque *vela* Lucretio L. VI. v. 743.

Remigii oblitae PENNARUM VELA remittunt.

Pennarum *vela* ſunt *vela alata*; Pennae enim dicuntur *alae* Virgilio, Juvenali, atque aliis. Hinc ipſum mare vocarunt *undas ALIGERAS.* Arator Diaconus, qui temporibus Juſtiniani floruit, ad Act. Ap. c. 28.

Suſcipiensque ratem VELIS cedentibus Auſter
Praebuit ALIGERAS placidis in fluctibus undas.

§. 20. Atque ex hac obſervatione non paucarum fabularum origo peti poteſt. Inde illam de Daedalo & Icaro explicat Pataephatus de incred. hiſt. c. 13. eorumque alas de navi explicat, qua Minoa profugerunt, & quaſi volantes in mari circumlati fuere. Sane, ſi

Pau-

Pausaniae fides habenda est in Boeoticis, Daedalus sibi, filioque suo πλοια δ' μεγαλα *fecit, iisque VELA imposuit*, (ὁ μηπω τοις τοτε ἐξευρημενοις,) quae tum adhuc erant incognita. Sane navibus eos fuisse usos Cidemus apud Plutarchum in Theseo observavit, & Varro mare Icarium appellatum esse censet, quod in illo naufragium passus Icarus exstinctus fuerit. Ex eodem fonte eundem fere in modum idem Palaephatus Cap. 29. Pegasi alati & cap. 30. Pelopis alatorum equorum commentum derivarunt. Videlicet utebantur navi *velis* instructa, quae *alas* vocabant, cum autem ἐπισημον & nomen navis esset equus, inde *equos alatos* fabricaverunt. Immo, & hinc explicanda esse videtur fabula de Cereris curru a draconibus alatis tracto, quo tot maria peragrasse legitur. Vel, quod navis illa, quo veheretur, insigne haberet vel effigiem *Draconis*, & quidem ob vela, quibus praedita erat, *ALATI*, uti Philochorus in Eusebii Chronico explicat, quando scribit *Triptolemum longa navi delatum urbibus frumentum distribuisse*, ὑπονοειθαι δε ΠΤΕΡΩΤΟΝ ΟΦΙΝ εἰναι την ναυν, ἐχειν δε καὶ τὸ σχηματος, *per ALATUM autem serpentem significari NAVEM, cum figura ei sit quodammodo simili.*

§. 21. Cum itaque כנפים *alae* sint vela navium, cur Aegyptiis sigillatim illa adscribuntur? Ejus rei puto me posse duplicem promere rationem. Nam (α) Aegyptiis, illorumque

que reginae ISIDI *velorum* inventionem, atque usum tribuebant. Docet hoc Hyginus in fine operis sui, & capitis CCLXXIX. *VELIFICIA primum invenit ISIS, nam dum quaerit Harpocratem filium suum, RATE VELIFICAVIT.* Insignis in hanc rem locus est Cassiodori L. V. Var. Epist. 17. Ubi Theodoricus rex Abundantio praeposito suo scribit. *Nunc armamenta procura, VELA praecipue, ALAS NAVIUM; facientia LINUM VOLATILE, quidam spiritus currentium carinarum, praenuntia mercium, auxilia quieta nautarum, quorum beneficio conficiunt otiosi, quod acerrimis avibus vix probatur impleri. HOC ISIS RATI PRIMA SUSPENDIT, cum per mariâ Aprochram filium suum audaci pietate fœmina perquireret.* Vides *vela* dici *alas navium*, eorumque originem ex Aegypto repetendam. Atque ideo non mirum est, navim velo, quod alae habet figuram, ut supra visum, in tabula Isiaca conspici.

§. 22. Sed & alia (β) ratio est, ob quam *veliferarum* navium terra dici potuit Aegyptus. Parvulae enim illae naves, quarum proventus in Aegypto erat longe uberrimus, suis superbiebant VELIS, tanquam alis. Id nos edocet notus Juvenalis versiculus Sat. XV. v. 126.

Hac saevit rabie imbelle & inutile vulgus,
Parvula fictilibus solitum dare VELA PHASELIS.

qui hunc locum Esaiae egregium in modum illustrat. Phaselum enim esse צלצל abunde atque acute probavit Frater meus Cap. III. T. V. p. 589. sqq. Huic itaque phaselo cum dicit solitos esse Aegyptios dare *parvula vela*, an dubitas te heic cernere horum צלצל i. e. *phaselorum* כנפים *alas*, aut breviora vela. Atque heic quoque locum habent, quae in praecedenti differt. c. VI. §. 4. observata sunt, de discrepantia צל כנף & גם, quorum illud est *brevius velum*, hoc autem notat, grandius. Adde, quod & vs. sequenti, *brevium remorum* mentionem faciat, quales etiam in phaselis Aegyptiacis tabulae Isiacae occurrunt, uti & in eadem quoque VELA, sed quae expressam *alarum* sive *pennarum* imaginem referunt, cernuntur apud Pignorium pag. 71. n. 13.

§. 23. Erant autem illa phaselorum sive baridum Aegyptiacarum vela ex byblo. Herod. L. II. c. 96. ubi illas data opera describit; Ἱστῷ δὲ ἀκανθίνῳ χρέωνται, ἱστοισι δὲ βυβλινοισι. *Malo utuntur ex spina*, VELIS *autem Byblinis.* Plin. L. XIII. c. 11. *Ex ipso quidem papyro navigia texunt & e LIBRO VELA, tegetesque.* Descripsisse haec ille videtur ex iis, quae Theophrastus habet L. IV. hist. plant. c. 9. Αὐλὸς δὲ ὁ παπυρος πρὸς πλοια χρησιμος, καὶ γαρ ΠΛΟΙΑ ποιουσιν ἐξ αὐλὸς, καὶ ἐκ της βιβλυ ΙΣΤΙΑ δε πλεκουσι καὶ ψιαθους. Singulari quoque velorum genere ornatae erant naves Alexandrinae quod Seneca describit in Epist. ad Lucil. L. I. ep. 77.

Porro

Porro anne ex hac *ingenti* navicularum VELIS ſuis, tanquam alis ornatarum multitudine petenda inter alia quoque ratio phraſeos, quae apud noſtrum quoque occurrit Vatem c. VII. vſ. 18. qua Aegyptii vocantur *Muſcae, quae ſunt in extremo fluviorum Aegypti*, id vero aliorum dejudicandum arbitrio relinquo. Quemadmodum itaque quisquis attentius legerit Fratris mei diſſertationem, facile conceſſurus eſt, phraſin ארץ צלצל כנפים ferre Possit interpretationem, *terrae navium alatarum*, ſ. *velatarum*, ita quisquis meam hanc qualemcunque συμβολην diligentius dignabitur perpendere, non dubito, quin, quod, cum aliqua confidentia aſſerere auſim, illi perſuaſero, Aegyptum vix elegantiori nervoſiorique phraſi potuiſſe deſignari, quam ſi vocaretur ארץ צלצל כנפים *TERRA PHASELORUM* ſive *navicularum velivolarum*. Οπερ ἐδει δειξαι.

§. 24. Quo autem unicuique hanc ſententiam eo liceat cum aliorum opinionibus conferre facilius, atque ex omnium comparatione eo certius ferre judicium, utra, aliorumne, an noſtra, veritati ſit propior, adſcribam eos, qui praeter ſacrorum Voluminum commentatores, hunc locum vel obiter, vel data opera ſibi excutiendum, atque luce perfundendum ſumſerunt, prout illa ſe mihi in meis offerunt adverſariis. Vide ſis itaque J. DRUSIUM Obſerv. L. X. c. 20. S. BOCHARTUM Phaleg. L. IV. c. II. p. 213.

Steph. le MOYNE Var. S. pag. 3. sqq. & in diss. ad locum Jer. XXIII: 6. p. 180. sqq. P. D. HUETIUM Dem. Ev. Prop. IV. c. 10. d. 4. Mart. de ROA singul. S. script. loc. T. II. L. V. p. 581. Thomae MALVENDA de *Antichristo* L. IV. c. 19. 20. J. C. DIETERICI Ant. Bibl. p. 579. sq. Mart. DELRII Adag. S. ad. 722. J. H. URSINI Anal. Vol. II. L. 2. c. 16. Fr. Ad. LAMPIUM de Cymb. Vet. L. I. c. 21. & in hac Bibliotheca Cl. III. Fasc. VI. Sect. II. §. 28. sqq. Joh. Henr. MAJUM Obs. S. L. I. c. 21. Albertum VOGTIUM (e) in Miscell. Biblic. Hept. IV. c. 2. §. 3. ut & Matth. HILLERUM, Professorem Tubingensem (f) Diss. de *Calamitate Aethiopiae* ad C. XVIII. Esaiae separatim edita Tubingae, 1714. 4. atque Herm. *von der HARDT* in *libello Esaiae C. XVIII. interpretibus obscuro*, Helmest. 1713. 4. Sed cum haec diss. nunc meis se subduxerit oculis, quaenam ejus sit explicatio, non habeo dicere.

§. 25.

(e) Is explicat *terram umbrae alarum*, sive *orarum*, quia incolis Aethiopiae, quam intelligit, perinde ut universis, teste Strabone, qui habitant, inter Tropicum & Aequinoctialem circulum, umbrae in utramque partem cadunt, aeque tam versus Septentrionem, quam Meridiem.

(f) Is quoque doctissimus vir explicuit de *Aethiopia*, eamque ita dictam putat, quasi *terram locustarum alarum* sive *alatarum*, quod in illa plures locustae generentur quam in ulla terrarum alia; Unde & ejus incolae dicti sint ἀκριδοφαγες.

§. 25. Ex horum collatione cognoscés, in quam varias diversasque cogitationes eruditorum hominum animi distracti fuere simulque miraberis nullum fere inter eos fuisse, si à sola discesseris eruditorum Hispanorum biga Th. MALVENDA, (g) & Mart. de ROA, illo Predicatorum ordinis, hoc sodalitii Ignatiani membro, cui tam planae, tamque commodae, quam dedimus, interpretationis venerit in mentem. Neque tamen omni illa destituta est auctoritatis praesidio. Praeter enim Chaldaeum Paraphrasten, Arabemque & Alexandrinos interpretes, ut & Ludovicum Legionensem, in comm. ad prophetam Abdiam jam Fratri meo citatos e recentioribus ita transtulit *Leo Judae; Vae terrae nassae alatae.* Tigurini. Wehe dem Lande der fliegenden Schrifften; Immanuel SA. *Cymbalo*, scribit, i. e. *cymbalis* i. e. *cymbis, seu navibus alatis utitur.* VATABLUS in notis (siquidem illarum auctor est, de quo tamen passim dubitatur,) quae occurrunt in longe rarissima, argenteisque literis impressa Roberti Stephani Bibliorum editione, quae prodiit a. 1554. *Vela navium alis comparat, q. d. ô regio maritima,*

(g) Ille ita in L. de Ant. l. c. *Nec aliud videtur Interpres innuere per cymbalum, quam cymbas, seu naves vel à sonitu seu stridore. quem diximus naves plenis velis volitantes reddere, vel quod vela navium ventis inflata cymbali, seu campanae speciem prae se ferant.*

quae accedat navibus, quae reguntur velis, quae recipit umbram velorum multarum navium sive quae tegitur umbra velorum &c. Ubi tamen vides notionem *umbrae* in צלצל retinuisse. Et sic complures sunt, qui saltem כנפים de velis explicuere, etsi τῷ צלצל, aliam significationem dederunt, v. gr. Hieronymus, Aquila, Cyrillus, Procopius Gazaeus, Oecumenius, Theophylactus, R. David Kimchi, R. S. Isacides, Lutherus, Abr. Scultetus (qui ita explicat, *Tot navibus & velis illa invehitur, ut umbram faciat.*) Thaddaeus Perusinus, (h) Brentius, Oecolampadius, Musculus, Wicelius, Schindlerus, Forerius, Ursinus, Glassius, aliique. Sed cum talia non tam adsentientium numero, quam argumentorum pondere agenda sunt, digito haec tantum adtingimus.

§. 26. Ne tamen vel tantillum restet dubii, aut aliquid data operâ dissimulasse videar, eorum, quae huic sententiae adversari compertum habuissem, tribus solum verbis,

(h) Fuit is Eremita Augustinianus S. Theolog. Prof. in ill. Perusino Theologorum collegio, cujus Comment. in Esaiam, editum Perusiae. 1598. inter libros meos rariores numero. Is cum aliorum de hoc loco sententias recenset, ait, secundum quosdam *Aegyptum vocari Cymbalum alarum propter multitudinem navium, quibus utebantur, quae propter vela impetu ventorum commota, quendam sonum, velut cymbalum causare videbantur.*

bis, monebo, duo contra illam adtuliſſe, qui Interpretum Eſaiae ordines ducit, C. VITRINGA. *Primum*, quod adducit hoc eſt, *Non dubium eſt ait, quin Aegyptum hic deſcribat, Propheta a charactere ſuo quodam diacritico.* Recte, belle, σοφως. Tantumque abeſt, ut hoc argumentum meae infringat ſententiae robur, ut potius hoc ipſum illud ſit, quod toti huic diſceptationi praebuit anſam, ut in quo totius argumentationis meae nervus ſitus eſt. *Atqui*, pergit, *Aegyptum habere fluvium tritum navibus, quae in eo vela faciant, & expandant ſua, nihil ſingulare eſt, id enim commune habet cum omnibus terris, quae a majoribus fluviis perluuntur.* Et haec quoque vera ſunt; Neque diffiteor, ſi nihil aliud eſſet oſtenſum, *quam Aegyptum habere fluvium tritum navibus, quae in eo vela faciunt*, eo hanc rem non fore deciſam; Verum enim vero, illam phraſin, de qua agitur, tam διαφερόντως atque ea ratione aptari poſſe Aegypto, quâ nulli unquam regionum alii, id vero, niſi valde fallor animi, tam liquido puto à me oſtenſum eſſe, ut ſperem non defore, qui huic explicationi ſint preſſuri pollicem. *Alterum*, quod affertur, hoc eſt, *Naves, quae in Nilo navigant, magna quidem copia, non niſi valde allegorice dici queunt obumbrare TERRAM, cum fuerint minores, adeoque minus commode* dici poſſint umbram facere *TERRAE*. Sed, nuſpiam

am legitur naves illas ob *umbrare terram*. Et vocem צלצל non *umbrae* in hoc loco notionem, ſed naviculae, ſive *phaſeli* habere; id quoque ſatis ſuperque monſtratum eſt. Neque nunc plura addo. Fortaſſis enim diu nimis his navigiolis vaſtum Aegyptiarum antiquitatum mare pererravimus. Reſpicio portum. Contrahamus vela; Et

Heic teneat noſtras anchora firma rates!

IX.

Elenchi Librorum

à Theologis Proteſtantibus, (a) praecipue *Reformatis* editorum

LATINE

Continuatio.

Johannis WESSELII (Theologiæ in Academia Leidenſi Profeſſoris) Diſſertationes ſacræ Leidenſes ad ſelecta quædam V. & N. T. loca; Accedunt duæ Orationes in-

(a) Eorum inter illos ſcripta, qui ſe Invariatae Auguſtanae confeſſionis ſocios dicunt, in poſterum

inaugurales de laudibus *Pauli* Apoſtoli & de titulo crucis Domini, quarum illa Roterodami d. 5. Jan. 1711. hæc die 8. Martii a. 1712. Lugduni Batavorum habita eſt. Lugd. B. 1721. pagg. 589.

Leges Anglo-Saxonicæ eccleſiaſticæ & civiles. Accedunt leges Eduardi Latinæ, Gulielmi Conquæſtoris Gallo-Normannicæ & Henrici I. Latinæ. Subjiciuntur D. Henrici SPELMANNI Codex Legum veterum ſtatutorum regni Angliæ, quæ ab ingreſſu Gulielmi I. usque ad annum 9. Henrici I. edita ſunt. Toti operi præmittitur Diſſertatio Epiſtolaris admodum reverendi Domini Gulielmi NICOLSONI, Epiſcopi Derenſis de jure feudali veterum Saxonum. Cum Codicibus MSS. contulit, notas, verſionem & Gloſſarium adjecit *David* WILKINS. S. T. D. Canonicus Cantuarienſis, Reverendiſſimo in Chriſto Patri ac Domino, GULIELMO, Divina providentia Archiepiſcopi Cantuarienſi &c. a ſacris domeſticis & Bibliotheca. Londini. 1721. fol. pagg. 450. V. Clerici Bibl. Vet. & hodiernam T. XV. p. 11. n. 3.

Παραπτλα της χρονολογιας & Hiſtoriæ ſacræ a mundo condito uſque ad την εξοδον Iſraelitarum ex Aegypto; & profanæ, quam explicat

rum à nobis quoque adductum iri, in præfatione promiſimus, ut autem à Reformatis diſcerni poſſint, deſignabimus eos literis initialibus Evangelico-Lutheranorum. (EL.)

prout desumta ex libris Metamorphoseωn Publii Ovidii Nasonis adhæc tempora spectat, Auctore *Luca* CUPERO, Philologo. Amst. 1721. 1. Alph. 3. pl. 8. In hoc libro id agit unice Auctor, ut, ostendat, libros transmutationum poëtæ Sulmonensis continenere Systema Chronologicum historiæ sacræ & profanæ inde ab incunabulis mundi ad tempora Salvatoris. Sed num miram hanc Metamorphosin, ipsa Ovidianâ magis miram, Viris emunctæ naris sit approbaturus, ipse viderit; Recensent Act. Er. Lips. hujus anni Apr. num. 4.

(EL.) PHILASTRII Episcopi Brixiensis de *Hæresibus* Liber, cum emendationibus & notis *Joh. Alb.* FABRICII, SS. Th. D. & Prof. Publ. additisque indicibus locupletissimis Hamb. 1721. 8. 1. Alph. 4. plag. Sequetur mox Pseudo-Hieronymi libellus, cum aliis brevibus veteribus de hæreticis scriptoribus cum dissertatione oppositа præjudicio eorum, qui hæresibus Christian.' earumque multitudine ita offenduntur, ut de veritate ipsa religionis irreverentius sentiant.

Ruardi ANDALA Oratio de *regno* Christi & Sanctorum millenario, præterito an futuro Apoc. XX. dicta solemniter in templo Academico a. D. V. Non. Jun. a. MDCCXXI. Cum Magistratu Academico iterum abiret. Franeq. 1721. 4. 14. pl.

Abrahami PUNGELERI oratio inauguralis de *sermonibus sanantibus Jesu Christi* habita Her-

bor-

bornæ Naſſoviorum ad d. V. Kal. Dec. anno cIↃ IↃ ccxxi. cum Academicos faſces iterum ſuſciperet. Herbornæ Naſſ. 1721. 4. 5. plag.

Bernardi Sebaſtiani CREMERI Oratio de Deo in unitate trino & unico in Trinitate, habita poſt. Kal. Jun. a. MDCCI. Harderouici, cum faſces Academicos deponeret. Amſt. 1721. 4. 11. pl.

Septuaginta interpretum Tomus III. continens V. T. libros propheticos omnes ſive canonicos ſive apocryphos, quo ex antiquiſſimo codice Alexandrino accurate deſcriptos ope aliorum exemplarium ac priſcorum ſcriptorum, præſertim vero Hexaplaris editionis Origenianæ, emendavit atque ſupplevit V. C. *Jo. Ern.* GRABE, Boruſſus, S. T. P. Oxonii e theatro Sheldoniano; 1720. 8. 3. Alph. 6. pl. Vide Acta Erud. Lipſ. a. 1721. p. menſe Dec. n. 1.

Thomæ GOODWINI Moſes & Aaron, ſeu civiles & eccleſiaſtici ritus antiquorum Hebræorum, tam quos illi nulli genti debent, quam quos iidem ab Ethnicis, & hi ab Ebræis per κακοζηλιαν aſciverunt. Ex idiomate Anglico Latine redditi; Adjectæ ſunt perpetuæ notæ, emendata ſphalmata, punctatæque ad faciliorem lectionem Hebrææ ac Rabbinicæ voces a *Joh. Henr.* REITZIO; Qui huic editioni ſextæ iterum novas addidit animadverſiones. Cui acceſſerunt Hermanni WIT-

SII

SII Dissert. II. de Theocratia Israelitica & de Rechabitis. Adhibito triplici Indice. Bremæ 1722. 8. plag. 48.

(EL.) Dissertatio de moderatione Theologica deducta ex principiis religionis Protestantium auctore *Daniele* MAICHELIO. Editio secunda auctior & emendatior Lugd. B. 1722. 12. pagg. 136.

Joh. Jac. HOTTINGERI, S. Theol. in Athenæo Tigurino Professoris (b) *Dissertatio secularis* de *necessaria majorum ab ecclesia Romana secessione &c.* adversus iniquum & vanissimum Ludovici RUSCAE, Luganensis, *judicium ecclesiasticum illi dissertationi oppositum*, ex verbo Dei, puriori Antiquitate, celebribus ecclesiæ Romanæ doctoribus, & quotidiana ejusdem ecclesiæ praxi, *asserta* & *vindicata*. Tiguri: 1721. 4. 1. Alph. 5. pl.

Tiberii HEMSTERHUIS Oratio inauguralis de *Græcæ linguæ præstantia ex ingenio Græcorum* & moribus probata; dicta Franequeræ Frisiorum d. VI. Martii a. 1720. cum Linguæ Græcæ professionem capesseret. Leovardiae 1721. fol. Exspectamus ab hoc Viro Græce doctissimo Luciani editionem, suis atque aliorum observationibus illustratam.

Nicolai GURTLERI Vocum typico-propheticarum brevis explicatio. Editio tertia Amst. 1622. 4.

Analysis nec non Chronotaxis Apoca-

(b) Vide Classis hujus p. 197.

calyptica, (ad mentem Cl. Viri, Campegii VITRINGA, Theol. & hiſt. S. Profeſſore in ſuo commentario Apocalyptico, editione altera) adornante *Chriſt. Joanne BOMBLE*, Eccleſiaſte Batavoduri, Amſtel. 1721. 4.

Antonii DRIESSEN, SS. Th. D. & Profeſſoris in Academia Groningana meditationes in libri Geneſeos IX. priora Capita & Caput XI. vſ. 1-10. Quibus ſenſus literalis aperitur, hiſtoriae ſacrae divinitas adſeritur, & ſenſus Myſticus inveſtigatur. Groningae. 1721. 8.

(EL) *Chriſtophori Matthaei PFAFFII*, S. Th. Doct. & Prof. Primarii, Eccleſ. Tübing. Praepoſiti & Univerſitatis Cancellarii, Schediasma orthodoxum dogmatico-Polemico-Aſceticum de *Morte naturali*, in quo & novae Hypotheſes Poireti, Leibnitii, Asgilli, Roellii, Rhenferdii, aliorumque, & veterum noſtrorum Theologorum ſententiae de forma, origine & affectu mortis ſub incudem examinis Theologici, toto negotio vel tandem ad aedificationem & ἀσκησιν Chriſtianam inflexo, revocantur viaque ad pleniorem tractationem de ſtatu & loco animarum ſeparatarum paratur. Tübingae 1722. 4. phil. 12.

(EL) Specimen inaugurale, quo *Theologus Heros* ab Elia Propheta in Eccleſia corruptiſſima egregie olim expreſſus ex 1. Reg. cap. XIX. v. 10. exhibetur Authore *Elia SILBERADIO*, SS. Th. Prof. Publ. Ordinario & Eccleſiaſte, Ca-

Capit. Thom. Canonico, & Univers. Argent. H. T. Rectore Argentorati 1722. 4. 14½. phil.

(EL) *Jo. Joach. WEIDENERI*, S. S. Theol. D. & P. P. O. Facult. S. Senioris & hodie Decani, ac ad Div. Mariæ Pastoris *Schediasma*, de *scientia falso sic nominata* ex 1. Tim. VI. 20. singulis iis, qui adversus codicis revelati divinam veritatem, præcipue quoad caput de potestate Satanæ, prævaricantur, sincere oppositum, cum censura & approbatione Theologicæ Facultatis, accesserunt Indices dictorum biblicorum, quæ succincte aut explicata, aut vindicata; dogmatum item ac rerum præcipuarum. Rostochii ac Neo-Brandenburgi. 1722. 4. 1. Alph. 10. phil.

(EL) Introductio ad libros Canonicos Bibliorum Veteris Testamenti omnes, præcognita critica & historica, ac Authoritatis vindicias exponens. Adornata studio L. *Joh. Gottlob CARPZOVII* Profess. Publ. & Archidiaconi Thomani. Lipsiæ 1721. 4. 8. Alph. cum præf.

(EL) Historia Veteris Testamenti Antediluviana ex recentioribus Gallorum, Anglorum, Italorum, Germanorum, Belgarum &c. scriptis collecta confectaque & per compendium tradita, atque selectis Observationibus illustrata a J. R. G. Lipsiae 1722. 4. 11. phil.

Ludovici Ellies du PIN Methodus studii Theologici recte instituendi, cum indice quæstionum præcipuarum, quæ in cursu Theologico examinandæ atque discutiendæ veniunt: ad-

dun-

duntur præcipui Auctorum libri in quocunque argumento legendi. Ex Gallico in latinum ſermonem vertit M. *Joh. Martinus CHRISTELL*, Præfationem de vita, Scriptis, & Fatis du Pinii præmiſit *Johannes FRICKIUS*, S. Th. P. Auguſtæ Vindelicorum 1722. 8. 1. alph. 7. phil.

שרש דבר ſive fundamenta Theologiæ Didaſcalicæ, ſummarum veritatum aphoriſtico *nexu* denudato ſimul hodiernorum nervo, inuſus ſui auditorii concinnata a *Johanne MELCHIORIS*, S. S. Th. D. & P. P. in gratiam tyronum analyticas tabellas ſingulis capitibus præmiſit *Fridericus Adolphus LAMPE*, SS. Theol. Doct. & Prof. Ultraj. 1721. 12.

J. Georgii ALTMANNI de lingua OPICA, Italorum antiquiſſima, eorumque origine exercitatio Philologico-Critica, Bernæ. 1721. 8. 4. plag.

Joh. Jacobi STROHE, Palatini, prælectiones Philologico-Theologicæ, in quibus locus Eſ. VII: 14. dilucide explanatur, ſimulque Jeſu Meſſiæ nativitas ex Virgine demonſtratur, juſſu venerandi Theologorum Ordinis in Rauracorum Academia olim publice habitæ poſt auctoris reviſionem excuſæ; Lemgoviæ 1721. 8. phil. in 4.

Fraterna & modeſta ad omnes per univerſam Europam Reformatas eccleſias earumque pios ac fideles Moderatores ac defenſores pro unanimi in toto religionis Evangelicæ negotio

tioconſenſu inter ſe conſtituendo exhortatio. A pio & erudito Theologo (c) Nomine fratrum Evangelicæ profeſſionis in regno Poloniæ exiſtentium ante centùm, & quod excurrit annos ſcripta, & nunc in lucem denuo edita. Tiguri. 1721. phil. 16. in 4. Tribus partibus opuſculum hoc lectu digniſſimum abſolvitur. *Prima* exponuntur cauſæ graviſſimæ, quæ Evangelicos utrinque ad mutuam concordiam excitare atque impellere debeant. *Altera* modum tradit, quo exoptata diu concordia inter Evangelicos iniri ac ſtabiliri queat. *Tertia* exhibet reſponſionem ad objectiones & cavillationes quasdam præcipuas utriusque partis contra Concordiam.

Chriſtiani Johannis BOMBLE, Eccleſiaſtæ Batavodurani χειραγωγ. ad *Philippi* OUZEEL, nunc

(c) Autor hujus libelli eſt, *Bartholomæus* BYTHNERUS, Sileſius, antea eccleſiae Glambovicenae, deinde Malicenſis Miniſter. Senior primum diſtrictus Oſviecimenſis & Satorrienſis ultimus, deinde Sendomirienſis; Hic liber excuſus eſt a. 1612. & recuſus. Francofurti. 1618. 8. Edidit quoque tractatum de Invocatione ſanctorum, *Enchiridion conſolatorium pro iis, qui hoc tempore perſecutiones graviſſimas, Evangelicae veritatis cauſa patiuntur.* Qui liber Latine editus in linguam Bohemicam & Polonicam eſt translatus. Diem obiit Maliciis d. 28. Mart. a. 1629. aet. 70. Vide Andreae Wengerſcii, (hoc enim verum auctoris nomen eſt, non Adriani Regensvolſcii, quo nomine etiam inſcriptus eſt) hiſt. eccl. *Sclavonicarum* p. 427. *Wittenii* Diar. Biogr. ad a. 1629. ut & Place. Th. Anon. n. 738. T. d. H.

nunc Theol. Professoris Francofurti ad Oderam introductionem genuinam in Accentuationem Hebraeorum metricam & Prosaicam, quo illorum intellectus & usus redditur facilior. Lugd. 1722. in 4. 4. phil.

Salomonis van TILL, Opus Analyticum comprehendens introductionem ad S. scripturam, ad Joh. Henr. *Heideggeri* enchiridion Biblicum ἱερομνημονικον concinnatum. Editio secunda correctior. II. Vol. Basil. 1722. 4. IX. Alph. V. Cl. IV. Fasc. I. p. 179.

Nortoni KNACHTBUL, militis & Baronetti animadversiones in libros N. T. Editio *quarta* pluribus locis emendata. Francofurti & Lipsi 1722. 8. 10. pl.

Joh. Alphonsi TURRETINI disputatio Theologica, *Quomodo incitamenta e commodis temporalibus ducta populis Christianis proponenda sint*, Gen. 1720. in 4. pag. 16.

Ejusdem Dissert. Theologicae tres de veritate religionis Christianae. *Prima* est de *praestantia* doctrinae, pag. 51. Secunda de *Charactere magistri* & primorum praeconum p. 24. Tertia de *miraculis*; p. 44. Gen. 1721. 4.

(EL) De Praejudicio, quod adcrescit veritatibus primariis per imprudentem & vitiosum earum nexum cum doctrinis accessoriis, minus necessariis, incertis, saepe etiam falsis Dissertatio Historico-Theologica, Auctore *Christiano Eberhardo WEISMANNO*, Prof.

Theol. & Paſt. Eccl. Tubing. Tubingae 1721. 4. 9½. Phil.

(EL) Judaismus detectus, quo vindicantur & reſtituuntur, qui vel injuſte inter Judaeos relati, vel ex Judaeorum numero immerito excluſi ſunt, a M. *Henrico SCHARBAU*, verbi divini apud Lubecenſes Miniſtro. Lubecae 1722. 8. 10. phil.

(EL) Mohammedis Filii Abdaliae Pſeudoprophetæ Fides Ismaelitica, i. e. AL-CORANUS ex Idiomate Arabico, quo primum a Mohammede conſcriptus eſt, latine verſus per *Ludovicum MARACCIUM*, e congregatione Cleric. Reg. Matris Dei & (c) Innocentii XI. Papae Confeſſionarium, & ex ejusdem animad-

(c) Ab ipſo hoc Pontifice diu haec Alcorani editio praepedita fuit. Notabilem hanc circumſtantiam me docent Leibnitiana a Cl. Joach. Fr. Fellero edita. Ibi p. 83. ita vir illuſtris. *Je ſuis bien aiſe, que Mſr. d'Avranches* (Huetius) *trouve l'edition de l'Alcoran de feu Mr. Hinckelman aſſes correcte. On m'a aſſeure, que le Pape Innocent. XI. a empeche l'edition du bon Pere Maracci, quoyqu'il fut ſon confeſſeur; par ce qu'il regardoit ſes remarques, comme une eſpece d'Apologie de l'Alcoran, en ce qu'elle faiſoit voir, que les Commentateurs lui donnoient tres ſouvent un ſens raiſonnable.* Confer, quae ibi leguntur p. 40. Quae ſupra p. 277. de editione Alcorani Sikiana notavi confirmantur ex iis, quae eodem in libro p. 39. leguntur, ex quibus diſco duobus voluminibus ejus paraſſe ἔκδοσιν, quorum prius ipſam verſionem contineret, alterum Arabum Commentarios in Coranum. Confer quoque Collect. Etymol. Leibnit. Cla-

adversionibus aliorumque observationibus illustratus & expositus, praemissa brevi introductione & totius Religionis Mohammedicae Synopsi, ex ipso Alcorano ubique Suris & Surarum versiculis adnotatis, congesta: Cura & opera M. *Christiani REINECCII*, S. Th. Bacc. Lipsiae 1721. 8. 1. Alph. 14. phil.

(EL) Formulae caute & citra scandalum loquendi, de praecipuis Doctrinae Christianae Locis, quarum Syllogen exhibet *Joh. Mart. SCHAMELIUS*, Naumb. Past. Prim. accedunt articuli recessus Eslingensis de formulis quibusdam suspectis atque rejiculis: nec non Ideae errantes earumque examen Lipsiae 1722. 8. 12. phil.

(EL) Historia Romana ab V. C. usque ad tempus Constantini M. Imp. item descriptio templorum LXXXVI. Romae existentium, & Indulgentiarum. Opusculum ob insigne de *Johanna* Papissa Testimonium summopere aestimandũ post CCXXIII. annorum decursum editum e Musaeo *Gottfridi TENTZELII*, Ecclesiastae Arnstadiensis. Arnstadiae, 1722. 8. 8. phil.

(EL) *Joachimi LANGII*, S. Theol. in Reg. Frid. Prof. Ord. *Historia Ecclesiastica*, a mundo

Cl. J. G. Eccardo edita p. 242. Praeterea Christianum *Ravium* Virum Orientalium linguarum peritissimum versionem Corani elaborasse ex ejus epistola constat, scripta ad J. *Coccejum*, quae in hujus Anecdotis T. II. p. 665. legitur. Confer pariter de versionibus Alcorani Anquillonii Miscell. Crit. L. I. art 9. T. d. H.

condito usque ad seculum a Christo nato præsens, seu decimum octavum, deducta, & necessariis Imperiorum ac rei literariæ Synchronismis instructa Halae Magdeburgicae 1722. 8. 2. alph. 22. phil.

Hypotypoſis *Historiae & Chronologiae sacrae*, a M. C. usque ad finem saec. 1. Æ. V. accedit Typus Doctrinae Propheticae, Auctore *Campegio VITRINGA*, Th. & H. S. Professore; editio novissima eaque correctior. Jenae vel Lipsiae 1722. 8. 34. plag.

(EL) *Johannis Henrici BARTHII*, S. S. Theol. Doct. & Prof. Publ. Ord. in Acad. Argent. Diatribe Theologica de *Praejudiciis*, quae sunt veritatis impedimenta, olim aliquot disputationibus academicis, Argentorati ventilata, nunc vero ob defectum exemplarium, ut desideriis multorum satisfieret, recusa. Jenae 1720 4. 9. phil.

(EL) *Samuelis BOHLII*, S. Theol. Professoris in Acad. Rostoch. Publici, Theologia scripturaria, quae res ipsas succinctis & perspicuis Aphorismis proponit, Terminos Theologicos ex S. Scriptura feliciter eruit; dicta etiam Classica praecipue Veteris Testamenti e sensu formali plana reddit ad seriem Augustanæ Confessionis concinnata, nunc consentiente S. R. Facultate Theologica multorum hortatu è MSCto additis necessariis indicibus edita ab *Hermanno TARNOVIO*. Rostochii 1722. 8. 14. phil.

De

De *forma Consecrationis Eucharistiae* s. defensio Ecclesiae Graecae contra Romanorú in articulo de Consecratione Elementorum Eucharisticorum, latine scripta, Autore *D. Jo. Ernesto GRABIO*, & nunc publicata, una cum versione in usum lectoris Anglicani. Accedunt ex ejusdem Autoris MSStis annotata quaedam de oblatione Corporis & Sanguinis Christi, Forma & effectu Consecrationis Eucharisticae, & duo Fragmenta Praefationis, destinatae novae editioni primae Liturgiae Regis Eduardi VI, cum praefatione Editoris, qua ostenditur, quaenam sententia sit Ecclesiae Anglicanae de usu Patrum & maximorum ejus membrorum de rebus, quos Autor hujus libelli defendit. Londini. 1721. 8. 8½. phil.

Casimiri OUDINI Commentarius de Scriptoribus Ecclesiae antiquis, illorumque scriptis tam impressis, quam manuscriptis adhuc exstantibus in celebrioribus Europae Bibliothecis a *Bellarmino*, *Possevino*, *Philippo Labbaeo*, *Guilielmo Caveo*, *Ludovico Elia du Pin*, & aliis omissis, ad annum MCCCCLX. vel ad artem Typographicam inventam cum multis dissertationibus, in quibus insigniorum Ecclesiae Autorum opuscula atque alia argumenta notabiliora accurate & prolixe examinantur, tribus voluminibus cum indicibus necessariis. Francofurti 1722. fol. III. Voll.

EUSEBII Pamphili, *SOCRATIS Scholastici*, *HERMIAE Sozomeni*, *THEODORETI* & *EUAGRII*

GRII, item *PHILOSTORGII & THEODORI Lectoris*, quæ exstant, *historiae ecclesiasticae*, Graece & Latine in tres tomos distributae. *Henricus VALESIUS* Graecum textum ex MSS. Codd. emendavit, Latine vertit, & adnotationibus illustravit. *Gulielmus READING* novas elucidationes, praesertim Chronologicas in hac editione adjecit, Cantabrigiae: 1720. f. 3. Voll. quorum primum 880. alterum 448. & tertium 670. paginas cum praefatione & indicibus complectitur.

(EL) *Jo. Christoph. WOLFII Bibliothecæ Hebrææ* pars II, quæ præter historiam scripturæ sacræ Veteris Instrumenti, codicumque ejus, tum editorum tum MSS. tradit notitiam Masoræ, eorumque quæ ad Lexica & Grammaticas pertinent, Talmudisi tem utriusque, tum vero Bibliothecam (d) Judaicam & Anti-Judaicam aperit, ac post enarratas Paraphrases Chaldaicas & Cabbalam scripta Judæorum Anonymorum recenset. Hamburgi 1722. 4. 8. alph. 3. phil. cum præf. Satis puto me de hoc libro dixisse, si dixero, eo literis sacris operantes carere non posse.

Jacobi RHENFERDII Opera Philologica dissertationibus exquisitissimi argumenti constantia. Accedunt orationes duæ, altera de fun-

(d) Video me in hoc praestantissimo libro p. 837. verbulo notatum. Sed vellem collata fuissent quae Cl. I. p. 314. leguntur.

fundamentis & principiis Philologiae sacrae; altera de antiquitate Baptismi ante inedita. Præmittitur oratio *CL. LANDALAE in obitum Rhenferdii* habita. Trajecti ad Rhenum. 1722. 4. 5. Alph. 13. phil. cum praef. Indicem opusculorum quanti vis pretii, quae in hac συλλογῃ continentur, exhibuimus Cl. III. Fasc. 5. p. 948 Accessere tamen, *De decem Otiosis Synagoga, dissert. duae, in quibus Viri Cl. Job. LIGHTFOOTI; aliorumque sententiae de otiosis examinantur, varia de Synagogis, earumque jure, Praefectis Ministris &c. adsperguntur. Epistola ad Amicum de origine & significatu vocis ATTA. Rudimenta Grammaticae Harmonicae Linguarum Orientalium &c.*

Praeterea edidit *RHENFERDIUS*, quae in hoc volumine non inveniuntur.

Dissert. de *Viis Dei*; Gron. 1672. 4.

Specimen animadversionum in V. Cl. (C. Vitringa.) *Decemviros otiosos* &c. Franeq. 1688. 4.

Exercitationes Grammaticae in Ps. I. & Gen. II. *exhibentes specimen analyseos Ebraeae*, accedit Abr. Sculteti praefatio de recta ratione studii Theologici; Franeq. 1702. 8.

Dispositio scholastica argumentorum, quibus probatur mortem corporalem non esse pœnam peccati. Fran. 1693. 4.

Comparatio expiationis anniversariae Pontificis Maximi in V. T. cum unica atque aeterna expiatione Christi Domini; Addita haec est R. Sheringhami notis in Cod. *Joma*; Franeq. 1696. 8.

Dissertationum Philologico-Theologicarum *de stylo N. T.* syntagma. &c. Jac. RHENFERDIUS *collegit, recensuit, & de suo addidit dissert. de seculo futuro.* Leov. 1701. 4. Praefatio, quam huic syntagmati praefixit, est lectu dignissima.

Annotationes in Vetus T. & in epist. ad Ephesios incerto auctore. Amstel. 1710. 8. Novam editionem curavit, & praefationem praemisit noster Rhenferdius.

Verhaal van de eerste Oorsprong der broedertwisten in de Nederlanden; 1708. 8. Hic liber, quem sub nomine Irenaei Philalethae edidisse Rhenferdium, ipse mihi coram testatus est, lectu dignus est, primam occasionem illorum motuum, qui Belgicam occasione controversiarum, quae Coccejanos, atque Voëtianos (infausta atque illepida nomina!) divisserunt, multis circumstantiis, quae alibi non leguntur additis, enarrans.

Oratio de *fundamentis & principiis Philologiae sacrae*; Fran. 1711. 4. Ex ejus lectione cognoscere est, cum hanc conscriberet, divini alias ejus ingenii vim jam tum non parum labefactatam fuisse.

Dissertatio Philosophica, in qua contra Atheos Theoreticos, quorum existentia asseritur, demonstratur Existentia Dei ex idea à priori secundum Cartesii sententiam rite positam & vindicatam adornata à *Philippo Davide* SCHROEDEL, Pastore in Ecclesia Refor-

Reformata Hanovienſi majori ordinario. Francof. 1722. 4. 5. phil.

(EL.) *Chriſt. Matthaei* PFAFFII, S. Theol. Doct. & Prof. Tubing. *Inſtitutiones Theologiae* dogmaticae & moralis, ubi, utraque in unam maſſam jacta & poſt habitis tantiſper, quae veritati tantopere nocent, Sectae praejudiciis, authoritatisque ſtudio nimio conſcripto ad divinæ revelationis trutinam, haud neglectis, queis gaudemus, Libris Symbolicis; res fidei morumque ita exiguntur, ut adſperſa ſubinde dogmatum hiſtoria, oſtenſoque litium, quae Eccleſiam Chriſti ſcindunt momento, reſectisque Logomachiis ad ſolidam rerum divinarum cognitionem & ad pacem eccleſiaſticam, maxime vero ad mentes divino lumine, vividaque Chriſtianiſmi virtutumque Chriſtianarum praxi imbuendas, quantum quidem in breviario doctrinae ſanctioris fieri poteſt, via paretur. Adjiciuntur ſub finem ejusdem de guſtu ſpirituali, quo naturam à gratia diſtinguimus, & de vitiis eorum, qui ſacris operantur, medelaque rebus his adhibenda libelli academici: Editio ſecunda auctior. Francof. 1721. 8. 2. Alph. 18. plag. cum praef.

Emonis Lucii VRIEMOET de *Philo*, Judae illuſtri germine Gen. XLIX: 10. Diſſertatio, qua de inſignis illius vocabuli etymo & ſignificatu diſſeritur. Ultraj. 1722. 8. 16. phil. Poſt

tot doctorum virorum de illa voce cogitationes novam protulit Auctor,

Qui gerit ante annos animum, curasque viriles.

Illius summa huc redit; compositum illud esse ex *affixo* pronomine 3. sing. masc. ה *suus, ejus* & vocabulo שׁיל, abjecto facillime א, pro Hebræo אציל, quod Arabes etiam per ש, אשׁיל, scribunt, apud quos ea vox *nobili stirpe* ortum, nec non *fortitudine, virtute, robore præstantem* denotat. Quicquid de hac opinione sit, ejus dissertationis lectio fecit, ut non nisi praeclara quaeq; de autore, si eo pede perrexerit, imposterum ecclesiae, & literis ominari possimus.

(LE.) Codex Pseudepigraphus Veteris Testamenti, collectus, castigatus, testimoniisque, censuris & animadversionibus illustratus à *Joh. Alberto* FABRICIO, S. S. Theol. D. & Professore Publ. in Gymnasio Hamburgensi. Editioni huic secundae accedit Volumen alterum separatim excusum. Hamburgi 1722. 8. 3. Alph. 6. phil.

(EL.) Anecdota Graeca Sacra & profana, ex codicibus manu exaratis, nunc primum in lucem edita, versione latina donata, & notis illustrata a *Jo. Christoph.* WOLFIO, Pastore ad D. Cathar. Hamburg. & Scholarcha. Tom. I. Hamburgi 1722. 8. 22½. phil.

(EL.)

(EL.) *Jo. Alberti* FABRITII, SS. Theol. D. & Profeſſ. Publ. Bibliothecae Græcae, volumen undecimum, ſive Libri VI. Capita quatuor priora, quibus enarrantur collectiones canonum veteris eccleſiae & conciliorum, tam univerſalium quam particularium, nec non de epiſtolis ac decretis Pontificum Rom. notitia traditur. Accedit praeter Synodicon vetus, pridem in lucem datum A.B. D. *Joanne* Pappo, Demetrii Procopii Macedonis Moſchopolitae ſuccincta Eruditorum Graecorũ ſuperioris ac praeſentis ſaeculi recenſio, nunc primum edita, graece & latine. Hamburgi 1722. 4. 9. philyr.

Quaeſtio.

Quæ urbs fuit patria ADAMI, dicti *Bremenſis*, cui harum regionum hiſtoria eccleſiaſtica tantùm debet?